P
C
D
DE
A
Fru&
Anno
tib
C
In Ecc
Vir
Anno

PARADISVS CÆLESTIS, DVLCISSIMVM IESV COR

DELICIJS SPIRITUALIBUS,
Cordium Humanorum
ABVNDANS,
Fructibus Gratiarum, & incomparabilium
Beneficiorum DEI
AFFLVENS,

Anno Dñi 1717. Die 12. 9bris cum ingentibus ac insignibus Indulgentijs à Supremo Pastore Ecclesiæ Ecclesiarum

CLEMENTE XI.
CONCESSIS
Regno Poloniarum
RESERATUS.

In Ecclesia Sanctimonialium sub Titulo Visitationis SSmæ Virginis MARIÆ In fundo Episcopali ad Cracoviam
PLANTATUS.

Anno Incarnati Verbi 1718. Die 6. Iunij.

P.P. Eremitt. Camald. Bielanensis

IN STEMMA ILLVSTRISSIMORVM SZEMBEKIORVM.



Spinosâ cinctum COR JESU cerne Coronâ,
Purpureo tinctum Sangvine, munus habe.
SZEMBEKIIS ſunt apta ROSIS vepreta moleſtum
Divino Capiti quæ diadema ſtruunt.
Nullas hæc Spinas unquam admisêre Roſeta,
Ipſius CHRISTI ſentibus illa rigent.

ILLVSTRISSIMO DOMINO,

D. IOANNI

IN SŁUPOW

SZEMBEK,

SVPREMO REGNI

CANCELLARIO,

Łomzenſi, Graudentenſi, &c.

CAPITANEO:

Domino & Benefactori Noſtro COLENDISSIMO.

PARADISUM *voluptatis*, *COR IESV*, *dulcedinem mentium*, *quâ nihil ſuavius Tibi offert noſtra ſubmiſsio religioſa* ILLUSTRISSIME DOMINE. *Hucusq; illud*

langvet amore omnium nostrum, & ideò SZEMBEKIANIS ROSIS *fulciri desiderat, ut in deliquio magnæ charitatis aliquod levamen inveniat. Cælestis Sponsus, qui signaculum esse voluit in Corde Sponsæ, Manibus* SUPREMI CANCELLARII REGNI *consecrandus erat. Munus hoc acceptabile Tibi debebatur, qui semper fuisti, & es Vir secundùm* COR DEI. *Si juvenilem Tuam spectamus prætextam, summopere illam commendabat morum gravitas, quæ multorum in se oculos convertit. Alios metitur ætas, Tu ætatem præcoci ingenio metiebaris, sequebantur Te anni, qui aliis præcurrunt, primordia juventutis senili virtute antecedebas. Prima Tua fuit in Scholis occupatio, morum compositio, primum inter omnia pensum didicisti, initium Sapientiæ, Timorem Domini. Inter cælestia phœnomena numerat Mathesis Herculem ingeniclam, qui similis genuflexo homini proximus lucet Australi ac Boreali Coro-*

na:

næ: Tibi ſæpiùs in Eccleſia flectenti, non duas Coronas, ſed millena ſerta Cælum parabat. Præcurrebas Tua in literis celeritate, Gentilitias CAPRAS, quæ ipſa tantùm Parnaßi juga ſcandere didicerunt, ipſas Apollinis Lauros inſilire. Tuo in ſtudijs fervore, in libris atros Literarum carbones, vix non accendiſti. Alios pueros in Literaria arena magis ludentes, quàm aliquid diſcentes, tanquam veteranus ſenecio fugiebas, ſedatam in juventute præferendo canitiem. In exteris tandem nationibus matura morum gravitas ſpectantium oculos in ſe convertit. Ingenui pudoris Roſæ, cum Domeſtica Centifolia, purpureo certabant colore. Admiranda Tui ingenij capacitas multos habuit æſtimatores, qui uno ore fatebantur, ſub frigido Septemtrione non glaciales naſci animas, ubi in Te non juveniles ad bonum igniculos, ſed Ætnâ, & Veſuvio flagrantiorem ad virtutes animum ſuſpexerunt. Tua cum exoticis converſatio omni-

um corda rapiebat , nullus restitutionem prætendere voluit, quia hæc pulchra animorum rapina, non dedecus parit, sed ornamentum. Redux in Patriam, veluti laboriosa Apis, ex Lilijs Galliæ, benemeritorum, & consummatæ ultra annos prudentiæ mellificium collegisti. Brevi tempore eò processit Tua activitas, ut Regis Serenissimi AVGVSTI II. *singularem ad Te affectum inclinares. Magna felicitatis portio obsequiorum promptitudine gratiam Principum demereri expedita ad omnes nutus alacritate amorem conciliare. Ipsi tantùm industrij aucupes hanc plumatam volucrem capiunt, tersissimo ingenio, versata in omnibus expoliti dexteritate. Scivisti Tuâ capacissimâ indole Serenissimi Principis devincere affectum, qui altiora Tibi conferre subsellia in animo destinavit. Inter honores continua de Te fuerunt jurgia, & infinitæ dissensiones, quisnam ex illis Tibi conferri debuit. Quælibet magna dignitas summopere dubita-*

bat.

bat utrum Te maximo digna fuerit, quia ſemper eminentiori culmine digniſſimus ab illa judicabaris. Vnus honor alterum praecurrere volebat, ad Te celeriùs feſtinando, omnes tamen ſignatoria Aquila antevolavit, ut in Tua meritiſſima dextera conſideret. In judicijs Aſſeſſorialibus quotieſcunq; reſpicis favorabili oculo pupillos, toties lacrymantem illorum pupillam abſtergis. Omnium ſpem ſuperans, cupienda praevenis, vota beneficijs anteire ſoles, praeſtare Tibi, quàm alicui optare velociùs, in hoc vel maximè Te feliciſſimum reputas, quando miſerae ſortes calamitoſorum hominum numeroſo Te cingunt ſatellitio. In tot diſturbijs, Sereniſſimo Monarchae fideliter adhaeſiſti, fortunae ſequens mutabilitatem; quae juxta Poetarum mentem maris filia inter tempeſtates nata & procellas. Aureum os Principis, quot verba, tot oracula fundis, penes ſigillatricem ceram, mella ſvavioris facundiae propinas. Tibi conceſſum Roſeo Stem-

 mate

mate insignito, sub Rosa tenere, Regiæ mentis arcana, & annuente Principis arbitrio, eadem omnibus palam aperire. Scilicet non tantùm Regali Throno, sed etiam cordi proximus, illius abdita pandis. Cum Celsissimo Primate Regni in Comitijs proximè præteritis exemptionem ab oneribus bonorum spiritualium fortissimè promovisti, zelosus patrimonij Christi defensor. In Sacro Codice, panes propositionis, interpres Hieronymi calamus, vocat panes facierum, quasi humana voce loqui didicissent. Panis Christi meliùs loquetur, utrumq; Fratrem suæ immunitatis acerrimum propugnatorem in publico totius Reipublicæ congressu. Non time adversitatum umbras, quando Tu Illustrissimus Sol in signo CAPRICORNI *lucens, ad majus claritatis augmentum Carmelitarum Stellas adscivisti. Non metue hostes animæ, illos Seraphicæ Virginis Sagitta, & ejaculatoriæ Orationes Sponsarum Christi triumphabunt. Verificabi-*

tur

tur de Te illud Prophetæ effatum, clamabit lapis de pariete, & lignum quod est in junctura ædificiorum respondebit illi, prædicando Tuam Liberalitatem, quæ Cænobium extruit Sanctimonialibus Divæ Teresiæ destinatum. Calce dealbati parietes, canam Tibi ominantur ætatem, Mons Carmeli sub sidera erecto vertice Nomen Tuum extollet, Seraphico flagrans ardore. Diva Fundatrix, Munificentissimo Benefactori ignes accendet triumphales, Religiosarum Virginum suspiria, vitæ Tuæ cymbam pro lenioribus Favonijs provehent ad Fortunatas Insulas & bonæ spei promontorium. Longior meritorum Tuorum Syllabus fatigavit multorum Encomiastarum calamos, profusissimos laureatæ frontis exhausit sudores, maxima etiam rotavit capita; nos magnitudinem gestorum exiguâ pennâ metiri non audemus. Illustrissimos Antecessorum Tuorum Cineres movere non expedit, neq; in apertum Majorum producere Imagines, Sipario mor-

tali-

talitatis obductas, superstites tantùm tenui eloquentiâ liceat venerari, STANISLAI SZEMBEK *Archiepiscopi Gneznensis, magna merita non indigent commendationis pompâ exornari, meliùs ipsa taciturnitate spectantium oculis illabuntur, quam per facundioris eloquentiæ picturas proponantur, sufficit dixiße: Celsißimus Princeps Primas Regni in nitore Gnesnensium Liliorum, suâ Rosâ purpurascens decus, Divini honoris zelosißimus Promotor, boni publici acerrimus Defensor, Asylum extremæ paupertatis, Orphanorum Pater, illius liberalitati rectè militat Pòëtœ dictum.*

- - - Hic supplicis ore rogari,
Nec minimū patitur vulgi, sed præcipit ipse
Vt veniāt, timidisq; libens se porrigit ultrò.
In qvosvis usus, & plùs quā poscitur offert.

Totum Orbem Polonum videmus æstimatorem magni illius Nominis, scimus optimè quantùm appretiavit Illustrißimus Parens, adhuc in juvenili prætexta elevatam

tam

tam ipsius indolem, jamq; morti proximus Te Illustrißime Domine CANCELLARIE illi non tanquam Fratri, sed Patri & Tutori commendavit. In Illustrißimo MICHAELE SZEMBEK Episcopo Paphensi, Suffraganeo Cracoviensi, Abbate Claræ Tũbæ doctiores encomiastarum calami depredicant frontis amænitatem, in supercilijs clementiam, in oculis gratias, in ore blanditias, in cultu affabilitatem, in pectore candorem, in corde Divini amoris ignes, in manu munificentiam, quæ in hac Metropoli Poloniæ, magno sumptu fundavit Sorores Charitatis, debilitati ægrotantium servientes. Sanctior Æsculapius misericordiæ Apothecam, pietatis Officinam aperuit, egestatis refugium, infirmitatis Domicilium erexit, ægrotorum continuæ ad DEUM preces longa annorum serie illæsam ipsius sanitatem conservabũt, præstitos favores Munificentißimo regratificaturæ Fundatori. Alios Episcopali Infula ornatos subsecivo tangimus calamo,

Illu-

Illustrißimum Dominum ANTONIVM CHRISTOPHORVM SZEMBEK, *Episcopum Posnaniensem, Nominatum Vladislaviensem. Liberalitas ipsius omnium plenitudine abundat, postquam egenorum vota implevit, similis fonti, qui post omnes effusiones sui, adhuc se ipso plenus, brevi exhauriendus, si effunderet alienum, semper plenus, quia effundit se ipsum. Gentilitia ejus* CENTIFOLIA, *centenos gratiarum spargit odores, miseros quasi apum examina trahit, ut ex repando Floris Majestate, colligant mella beneficiorum. Legatus ad Invictißimum Imperatorem* CAROLVM VI. *quàm dextrè spartam sibi commißam egerit, & exterorum applausus, & Poloniæ totius gratulatoriæ voces evidens fuerunt documentum. Consiliorum illius gravitas, quanti fuerit ponderis, in Senatorio, ac Equestri Ordine, publica testantur Comitia. Optimus Gubernator toties clavo Consilij rexit navem Reipublicæ inter decumanos peri-*

ricu-

riculorum fluctus. Felix hæc triremis, si inter Consiliarios, qui ipsam dirigant, habet sapientes proretas. Illustrißimi CHRISTOPHORI SZEMBEK, *Episcopi Premisliensis, gestorum magnitudinem fama nuntiat Sarmatico Orbi, buccinat vocali claßico ex alijs electum à Sanctißimo Domino* CLEMENTE XI. *ad coronandam Imaginem Thaumaturgæ Virginis* MARIÆ *Częstochoviensis, gratiâ Serenissimi* AVGVSTI II. *promotionem illius ad binas Infulas, Chelmensem & Premisliensem, in utroq; Episcopatu Pastoralem vigilantiam, Templi Cathedralis Krasnostaviensis, & Palatij Episcopalis restaurationem, cum summo Cleri applausu Synodum celebratam justitiæ libram manibus dignißimi Præsidentis concreditam in Tribunali Radomiensi. Amplitudinem meritorum Illustrißimi Antistitis non audemus tenui prosequi eloquentia, humili potiùs veneramur silentio. Duo* FRANCISCI SZEMBEKII, *Canonici Cracovienses brevi*

vi altiora conſcendent culmina, prævijs Virtutum gradibus, Domeſtica illorum Roſa violam in Præſuleo veſtitu pro majori ornamento habitura, pulchriùs efflore-ſcet. Illuſtrißimi FRANCISCI SZEMBEK, Dapiferi Regni, Capitanei Biecenſis virtutes, quia ſunt ſine numero, ideò illas recenſere non poſſumus, aliquas tantùm liceat delibare. Pietas ipſius erga DEVM, inter publica negotia, mentem abſtrahit à terrena ſolicitudine ad cæleſtia, limati ingenij acies admiranda. Gordios difficultatum nodos facilè diſſolvit, conſtantia animi adamante ſolidior, erga Sereniſſimum Principem intaminatus candor, in maturitate Conſilij expedita promptitudo, in miſerorum egeſtatem nimia liberalitatis profuſio, in geſtu modeſtia, in voce lenitas, in vultu veneranda Majeſtas, in toto corpore ſedata compoſitio, ſed impar geſtorum amplitudini eloquentia cedit palmam, à numeroſo virtutum exercitu, plenis meritorum caſtris victam

ſe

se eße profitetur. *Illustrißimi Domini* ANTONII SZEMBEK, *Castellani Visliceńsis, Magnifici Domini* ANTONII SZEMBEK, *Tribuni Oświecimensis*, PETRI SZEMBEK, *Burgrabij Cracoviensis, Magna Nomina, heroicos illorum ausus ferreo Stylo Gradivus annotavit in cervicibus hostium, non acutior Oratorum calamus, sanguineus character in Martis arena expreßit, non Typographorum Literæ, præsentant illorum magnanimitatem victrices adoreæ, non Apollinis Lauri exornant. Toties magna in rebus agendis activitas, consummata prudentia, ad Tribunal Regni Dignißimos promovit Deputatos. Ingenuè fatendum, non humili elogio celebrandam* SZEMBEKIORVM *famam, sed profunda submißione colendam. Loquantur illorum benemerita*

Et qui supinis præcipitem rotis
Solem reclines Americi vident,
Et qui sub Eöis renatum
Suspiciunt remeare cunis.

Ee

Et jam in PARADISO *voluptatis* COR-
DE IESV *floreat* SZEMBEKIORVM
ROSA, *vigeat Tua sanitas* ILLUSTRISSI-
ME DOMINE *in hoc deliciarum Horto,
repleas Virtutum Odore hosce Campos Ely-
sios, Magno Tuo Nomini obligatas apud
DEVM exoratrices Tua fove protectione.*

Moniales Visitationis
B.M.V. Conventus
Cracoviensis.

VI.

VIVAT ✠ IESVS.

Ad præcipuos Adoratores Dulcissimi CORDIS IESV Fratres & Sorores hujus Congregationis.

INexhausta ac infinitè diffusiva gratiarum liberalitas Divina, quanquam multiplices thesauros Spirituales, per manus Supremi Vaticanæ Ecclesiæ Præsulis huic Metropoli Cracoviensi contulerit; nusquam tamen pretiosiùs, & magis optatum, ad locupletandas animas nostras providit clenodium, quam cum tam ingentem gazam, Gratijs & beneficijs prægnantem, & Paradisum æternæ felicitatis: Pretiosissimum Domini IESV COR in hanc Ecclesiam Nostram Neo introducta Confraternitate, ad perennem adorationem invexit. Quid ampliùs ad plenitudinem gratiarum præbere nobis qvivit Benignissimus Salvator, quàm cùm COR suum nobis donasset. In quo omnes Thesauri Sapientiæ

tiæ & Scientiæ DEI comprehenduntur, ut per patens CORDIS Illius Vulnus, veluti per Nili ostium, indeficientes in nos beneficentiæ alvei scaturiant, quidquid enim Cor nostrum apprehendere, aut affectus concupiscere, aut egens munerum Divinorum animus optare valet; cuncta charismata & solatia in CORDE IESV, veluti in compendio reperiet. Haurient inde sitientes rorem gratiæ, fontem gratiarum indeficientem, remissis in cordiali erga DEVM affectu, COR IESV fiet Clibanus inextingvibilis amoris, torpori ac negligentiæ rerum salutarium deditis, Excitatorium, eos de Letargo desidiæ expergefaciens; in Abyssum desperationis peccatorum pondere impulsis, bonæ spei Promontorium. Invenient præterea iracundiâ, passionumq; concitatiore motu perciti, ac vindictæ appetentiores, exemplum insignis Bonitatis, Patientiæ & Charita-

tis

tis inimicorum. Terrenis inſatiabiliter inhiantes, divitias æternales, & perenniter duraturas, Pauperes, & eſurientes, Ferculum, animum juxta ac corpus refocillans. Infirmi & imbecilles, habebunt in CORDE IESU Antitodum efficaciſsimum ſanādis ægrimonijs; verbo, cuncti ſeu tentationibus fatigati, ſivè laboribus internis, & afflictione dejecti, certum refugium, ſolatium, & reclinatorium amabile comperient. Ad extremum in mortis articulo conſtituti, invenient ſecuriſsimum Aſylum, & præſidium in hac meta cordium, CORDE IESU, quod flammea ſemper noſtri æſtuat dilectione. Nam uti in Cruce cruentum ſalutis noſtræ factum eſt holocauſtum, ita nunc jam operata, & exantlata à ſe merita ac vulnera, quæ pro perpetuo amoris ſui pignore, in ſuo SSmo Corpore hactenùs impreſſa tenet, Patri Cæleſti repræſentat, quo magìs eundem nobis propitiū faciat, quod

nec inter acerba tormenta in Calvariæ monte extinctũ, noſtri oblivifceretur, ſalutiferis ſacramentorum torrentibus Eccleſiam inũdans. Et qui fieri poteſt, quin noſtri nunc haud reminiſcatur, quod Singulariſsimi, & Vnici in hac Regione mortis viventium, interq; DEUM Mediatoris vices obijt, uſq; poſt Animæ IESU egreſſum mucrone diro lãceæ patefactum eſt, ad declarandũ univerſo Orbi, quomodo ab illo temporis momento magìs nobis reſeraverit oſtium miſerationum ſuarum: ſimulq; ut perſpiciant mortales, quod ſicut per hoc Vulnus liberum unicuiq; præbuerit ingreſſum, ita amoris incomprehẽſibilis ductibus uberiores gratias in nos ſit derivaturum. Toto itaq; mentis noſtræ affectu ruamus in adorationem hujus Delicioſiſsimi CORDIS, per Illud SSmæ TRINITATI opera noſtra ſacrificantes, hoc Benigniſsimo medio (IESU CORDE) repræſentemus Patri æterno indigẽtias

no-

noſtras, abſtrahendo cōrda noſtra ab amore creaturarum & cōvertendo ad amorē ejus, ut illud prius lucrati, ipſius intervētu, ipſum DEUM lucrari valeam⁹. Cómutemus (Divæ Catharinæ Senenſis exemplo) cum CORDE IESU corda noſtra, ipſo ſolo ſpiraturi; unica cordium noſtrorum in hac vita portio eſto COR IESU, in futura hæraditas perpetua. Patebit ex hoc Libello quô fine hæc cordialiſsima, & indeficiens adoratio ab ipſo Chriſto ſit inſtituta, nempè in recompenſationem inhonorationis, tepiditatum, contemptuum, ſacrilegiorum in Cōmunione SS. Euchariſtiæ cōmitti ſolitorum. Ecquis nam ſit, qui non unico ſaltem horum, DEUM offenderit; nemo proinde deberet adeò excors & ingratus perſiſtere CORDI IESU, qui tàm ſalutare erga illud, & utile ſibi negligat officium. Eſtote itaq; ardentes hujus Dulciſsimi CORDIS, amore Seraphini, amorem dilectione veſtrâ repēdentes,

tes, pietate eximiâ, innumerabiles dolores, & gravamina Cordis hujus retaliantes. Amoris se Lytrum in Sacrosancto Sacramento exhibet Salvator. Iustum itaq; est, continua adoratione Divinissimũ COR Ejus lætificare; quo facto sperare possumus, omnia solatia, abundantiam gratiarum & Charismatum supernaturalium, totiusq; Regni nostri affluentẽ benedictionem. Quod cùm omnib⁹ cordialissimè à Divina Bonitate precamur, præsentem Libellum varijs Actibus, Officijs, Litanijs & devotione multiplici erga COR IESU, ac Bmæ Virginis, sicut & ad S. FRANCISCUM SALESIUM Patrem & Patriarcham refertũ. diligenter à nobis concinnatũ, Typoq; cõmissum, ad emolumẽtum animarum vestrarum, pio usui vestro præsentamus reciprocè unicum à vobis suspirium in DEUM flagitantes: ut sicut ipse D. IEsus per nostræ Cõgregationis Religiosam Sororem, hãc adeò salutiferam devoti-

votionem, fidelium notitiæ proposuit & revelavit: ita nobis etiam indignissimis ancillis, auxilium gratiæ suæ largiatur; quatenus in terris debita adoratione & cultu COR Ejus prosequentes, cum studiosa Regulæ & Constitutionum Nostrarum Observantia, mereamur eundem unâ vobiscum æternũ laudare, & diligere in Cælis. Quod à vestris pijs Orationibus in nos promanaturum speramus. Nunc unicum adorationis CORDIS JESU Actum ad Nostram intentionem eliciendũ & offerendũ obsecrãtes.

Qui hujus Libelli copiam sibi fieri velit in Conventu Nostro Visitationis semper illam poterit invenire.

Quoties quis qualicunq; in afflictione positus morbo aut inopiâ vel tentationibus vexatus, absolvet, aut conducto absolvi curaverit quinq; Sacra de quinq; vulneribus JESU Christi in Cruce acceptis, ad Honorem CORDIS ejus dulcissimi ante Altare illi dedicatum in Ecclesia Monialium Visitationis B. M. V. cuncta referet, quæcunq; desideraverit à DEO per COR JESU munificentissimum.

Id constat ex revelatione ipsius Christi Dñi, superiùs memoratæ Monali Mariæ Magaretæ à la Kok, quod hucusq; ipso effectu multi experi-

untur.

untur, ut habemus in relatione ejusdem Conventûs, ubi Corpus Magnæ istius Ancillæ DEI quiescit, semperq; ibi grandia patent documenta, in assiduo hominum confluxu, vota & speciales Eleemosynas, candelas in gratiarum actionem & honorem CORDIS Dulcissimi JESV deponentium & offerentium.

Superaddo, quod Sancto contigit Edmundo, hic adjurando dæmonem dixerat; adjuro te per COR JESV, manifesta mihi; quo te faciliùs possũ vincere? respondit dæmon, hoc, quod nominasti.

APPROBATIO.

Librum Congregationis Sacratissimi CORDIS IESU devotionem in se continentem, Die 10. Maij, Anno Domini 1718. ad Typum approbo.

M. BASILIVS PLASCZEWSKI
S. Th: Doct: & Prof. Ecclesiarũ
Collegiatæ Sanct: Omnium Crac:
Præpositus, S.R.M. Secretar:
Librorum Diœcesis Cracov:
Censor. mpp.

INFORMATIO & DESCRIPTIO COMPENDIOSA.

Quomodo hæc Devotio ad Sacratißimum COR IESV Christi Divinitùs fuerit revelata.

DEUS Omnipotens, ſicut per humiliatum in Carne humana Filium ſuum, ſupremum opus Bonitatis ſuæ, voluit præſtare mundo, in ſublevando lapſu generis humani per redemptionem illius, ita hactenus ſpecialiſſima documenta ſuæ erga homines Charitatis, per humiles, debiles, mundoq; abjectos, ſibi verò in Decretis Divinis acceptiſſimos & magnos exhibere non ceſſat. Per illos corda fidelium ad ſuam bonitatem accendendo, ea quæ placita, grataq; ſunt per eoſdem declarando: non abſimili methodo decrevit mūdo notificare, quàm accepta & complacita ſit devotio ad Diviniſſimum COR ejus ex amore erga animas noſtras in redemptione exinanitum, continuisq; gratijs cunctis exundans; niſi per debiles & abjectos ſuam hanc voluntatem notamfaciendo.

Cùm quâdam vice in Octava Corporis Christi maneret in Oratione coram Sanctissimo SACRAMENTO, *insignis Sanctimoniæ Monialis, Visitationis B. V.* MARIÆ *dicta* Maria Margareta à la Coque *in Conventu de Parny in finibus Burgundiæ, receptis sub hac sancta contemplatione quàm plurimis gratiis, excitata fuit ardenti desiderio referendi* DEO *mutuum amorem pro amore. In qua cogitatione dùm absorpta in* DEUM *mente hæreret, Salvator Noster Christus* JESUS *eidem apparens dixit: Majorem dilectionem & gratitudinem exhibere mihi non vales, quàm si feceris id, quòd à te pridem expeto. Mox aperto suo dulcissimo* CORDE *subtexuit en cor meum, quòd tantopere dilexit genus humanum, ut amore illius nihil sibi relinquendo totum se exinanierit; in recompensationem porrò, à multis tolerat contẽptus, irreverentias, sacrilegia, & tepiditates, quas irrogant mihi in Sanctissimo Altaris* SACRAMENTO. *Et quòd mihi summè intolerabile est, est quòd hæ ipsæ Personæ, quæ se servitio meo peculiariter dedicârunt, ingentem sæpiùs mihi ingratitudinem demonstrant, in recompensationem: proinde omnium irreverentiarum, contumeliarum, tepiditatum, & sacrilegiorum, in Communionibus. Volo ut*

Prima

Prima feria Sexta post Octavam SS. CORPORIS mei instituatur singularis solennitas ad adorandum & honorandum hoc COR meum ad hanc intentionem corde contrito Sacram Communionem sumendo, promitto autem, quod hoc COR meum uberrimos gratiarum torrentes effundet super eos, qui hunc illi exhibebunt honorem. Ad quæ pijssima illa religiosa dixit. Ah mi Domine cur obsecro id à me abiecta creatura, tamq; gravi peccatrice qualis sum ego requiris. Cujus ipsa indignitas Tuam Divinam impedire potest voluntatem, & obicem ei ponere? utiq; habes ad exequendam illam tot animas digniores, & animosiores. Ad hæc Salvator noster ei reposuit, an ignoras, quòd ego ordinariè assumo personas pusillas & humiles ad exequenda ardua & excelsa opera, in vilioribus & pauperibus spiritu ostendens omnipotentiam meam, & hoc ideò ne quidquam sibi adscribat arrogantia. Tum illa, Domine si sic complacitum est ante Te, da itaq; modum ut possim commodè exequi quod imperas mihi. Ad hæc Christus respondit. Adi servum meum Claudium de la Colombier Soc: JESU dicq; illi Nomine meo, ut impendat conatus suos pro instituenda hâc devotione ad gustum CORDIS mei, nec terreatur difficultatibus sibi

obventuris, non deerunt siquidem hæ, at noverit hoc, quod multum valeat ille qui non sibi fidit, sed totam spem suam in me collocat. Præmemoratus probæ vitæ Sacerdos de la Colombier dono discretionis spirituum præditus, non temere omnibus fidem adhibebat: perspectam nihilominus habens hujus Personæ Sanctimoniam nullam in hoc deceptionem metuebat, idcirco omnibus viribus satagebat id ad effectum promovere, quod ei à DEO per venerabilem famulam suam Mariam Margaretam creditum fuit. Porrò ut id maturiùs & firmiùs aggrederetur, incubuit specialiter Exercitijs Spiritualibus Sacrarum Recollectionum diebus triginta conscribens omnes illuminationes à DEO sibi concessas & inspiratas. Inter quas hoc etiam lumen fortiter inductivum habuit, quatenus per quam diligentissimè conaretur ut ad notitiam fidelium JESV Christi devotio CORDIS ejus Sacratissimi pervenisset. A se ipso ergo primum inchoavit totum se plene consecrando & dedicando CORDI JESV, & ad similem devotionem excitando omnes. Nec vano effectu, nam ante decursum anni hæc devotio auspicatissimè diffundi cæpit, quando sa- sapientissimis Directoribus Spiritualibus, Doctoribus gravissimis, Prælatis & Episcopis eun-
dem

dem cultum laudantibus, illumq; hominum mentibus inserentibus, Prædicatoribus etiam per suggestus declamantibus sacella in honorem Divinissimi CORDIS JESV struebantur. Icones pingebantur, Altaria erigebantur fundationes fiebant. Sanctimoniales visitationis inflammatæ spiritu zelosissimo, Sancti sui Fundatoris erecta Capella in Conventu Divionensi, ubi celebrabatur solennissimè tremendum Sacrificium in honorem CORDIS JESV CHRISTI. Illorum etiam exemplo inducta multa Sanctimonialium Monasteria, idem præstitere adeò ut brevi hæc devotio inclaruerit per varia Regna & Provincias, cum ingenti animarum emolumento. Admirabili quippe modô cæpit vernare per totam Galliam, inde ád finitima Dominia & ultra marinas Regiones tandemquè in Chinæ usq; imperium atq; extremas Indias diffusa est. Denique fortunatis avibus etiam ad nostrum Regnum Poloniæ pervenit & nuperrimè ad Metropolim Regni Cracoviam ex peculiari DEI Ordinatione à Sede Apostolica transmissa est. Quam antiquitûs Supremi Ecclesiæ Romanæ Pontifices approbaverunt ut CLEMENS X. speciali Diplomate Die 4. Octobris, Anno Domini 1674. insignes Indulgentias contulit Confraternitati CORDIS JESV plantatæ in Eccle-

sta Seminarij eidem Sacrosancto CORDI dicata Sanctissimus Dominus INNOCENTIVS XII. plenariam concessit Indulgentiam intuitu hujus Devotionis. Quam confirmavit præsens Vaticanæ Ecclesiæ Præses CLEMENS XI. Prout in Bulla ipsius nuper emanata pro inductione Congregationis huius in Ecclesia Monialium Visitationis Sanctissimæ Virginis MARIÆ in fundo Episcopali ad Cracoviam expresse specificatur eadem Indulgentia Plenaria.

Hoc proposito, ut hominum animi sæpiùs devota mente DEUM recolant.
Eiq; impensiùs servire conentur, ob amorem Dulcissimi CORDIS JESU.

COMMENDATIO

Hujus Devotionis, quantum proficiat ad obtinendas Virtutes Christianas, ac Beatitudinem æternam aßequendam.

DEscendens in hunc mundum Unigenitus Filius DEI ad redimendum genus humanum, plurimis argumentis infinitum, & immensum amorem suum in nos contestatus est, ad attrahendum enim nos erga se tam multa patravit prodigia, vitam suam pro nobis obtulit. In cibum nobis se ipsum in Sanctissimo SACRAMENTO largiri voluit. Pulchrè admodum hanc erga nos charitatem illius expressit. *Divus Bernardinus Senensis dicens.* Dilexit nos Dominus JESUS, tunc cum eum mini nè diligeremus, imo etiamsi noluissemus nos ab eo diligi. Ditavit nos bonis gratiarum suarum, antequam agnovissemus bonitatem ejus, aut pro ea gratias reddidissemus, si igitur bene fecit nobis, licet eum minimè flagitavimus, aut adamavimus, quid negaturus est illis, qui ei fideliter serviunt, eumq; diligunt. Quod si Domi-

nus JESUS usq; in præsentem diem tantos præstat favores illis, qui devoto corde afficiuntur erga Crucem Sanctam & alia instrumenta Passionis suæ, aut erga Sanctissima Vulnera Corporis sui, quid non illis præstiturus est, qui ferventi Devotione ad Sacrosanctum CHRISTI Benevolentissimum COR ejus feruntur, ex quo indeficienter omnium gratiarum ac beneficiorum promanant thesauri. *S. Giertrudis* affirmat, nihil sibi unquam fuisse negatum, quodcunq; nomine CORDIS JESU Dulcissimi à DEO postulasset. Scribitur in Vita S. Mechtildis quod quadam die viderit Filium DEI tenentem in manu sua cor proprium, quòd radios in totum Orbem evibrabat, tum Salvator fecit eam cognoscere, quod ex abundantia hujus Divini CORDIS promanant in homines omnia Dona & Gratiæ, quas DEUS perpetuo impertitur, secundùm merita unius cujusq;. Eidem Sanctæ semel apparens CHRISTUS præcepit, ut quàm ardentissimo affectu veneraretur COR suum Sacratissimum in Sacrosancto Eucharistiæ SACRAMENTO, quod ei dederat in pignus amoris sui, ut illi esset in locum refugij, toto

vitæ

vitæ mortalis tempore, in hora verò exitûs singulare solatium ac spes unica. Eadem Sancta ante mortem suam dixit, quomodo oranti ferventissimè pro impetranda quadam ingenti gratiâ cuidam Personæ CHRISTUS responderit. Filia mea dic huic Personæ pro qua petis, ut quidquid postulat quærat in CORDE meo, per studiosum enim cultum & affectum erga illud omnia quæ desiderat, ab eodem impetrabit. *S. Bernardus* plenus fervente amore erga hoc COR Divinissimum. Illud Thesaurum & Collectionem omnium Charismatum ac fontem omnis boni inexhaustum appellat. Idem Sanctus in hunc erga illud affectum prorumpebat, ô Dulcissime JESU quàm ingentes divitias continês in CORDE Tuo, ô quàm facilem habemus modum ditandi nos habendo hunc Thesaurum inæstimabilem in Sanctissimo SACRAMENTO. O quàm bonum & quàm jucundum est habitare in hoc CORDE Sacrosancto.

S. Augustinus. Thesaurus est COR JESU ad comparandum id totum quod nobis deest. Quidquid ex me ipso habere nequeo, accipio mihi & usurpo ex CORDE JESU, ex

quo

quo indeficiens manat misericordia, neq; non potest manare, quia lancea apertum est. In hoc sanè pretiosissimo CORDE, (ut *Petrus Damiani Cardinalis* inquit) inveniemus arma ad defensionem nostram, Medicinam ad sanandas infirmitates corporis & animæ, scutum contra insidias inimicorum nostrorum, solatium in tribulatione, & certam fiduciam adipiscendi vitam æternam.

Si itaq; mærore conficeris, aut aliqua afflictione gravaris, quære solamen in CORDE JESU, si te hostes tui persequuntur, aut injuriam irrogant, aut famæ tuæ insidias struunt, recurre ad COR JESU pro subsidio, illius amore omnem injuriam remitte, bonum pro malis repende, & ora pro persequentibus te, exemplo Redemptoris tui, qui pendens in Cruce pro Crucifixoribus suis, deprecatus est ignorantiâ peccatum illorum excusando.

Si te recordatio præteritorum peccatorum angit, curre ad COR JESU lancea transfixum, illic refugium & adjutorium peccatori, ac reconciliatio irati Numinis. Si cor tuum fluctuat inquietudine, timore, desperatione, ex emergentibus, eventibus, qui-

quibusdam, aut passionibus torquetur, accede cum fiducia ad COR Salvatoris tui, procumbe coram abscondito (sub tegumento Sacramentalium Specierum) DEO, ibi reperies tranquillitatem ac securum præsidium. Quòd si pessimæ vitæ ac vanitatum sæculi laqueis implicatus, terrore mortis concuteris, respue hæc crepundia, dissolve amicitias inordinatas ad peccatum te pertrahentes, extrica te ab occasionibus noxijs tuæq; saluti adversantibus, emenda vitam tuam sine dilatione ad mortem, cum nescias diem neq; horam, quando appropinquabit, teq; Divino Tribunali sistet.

Quod tunc à te fieri velles, nunc perfice, cum fiducia in misericordissimũ COR JESU. Quod, cum in separatione animæ à Corpore, omnes te dereliqverint, COR hoc Sanctissimum te excipiet, & in salutis portum deducet. Locuples es, abundas fortunis, ne apponas ergo illis cor tuum, COR JESU sit unicus cordis tui Thesaurus. Hæ etenim facultates opum sunt tibi concessæ, quatenus illis fruaris pro majori gloria DEI. Quarum rationem DEO in suprema mortis tuæ die redditurus es. Facite vobis amicos de mam-

mona iniquitatis ait Salvator. *Luc: 6.* Ut cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula: manus pauperum, mendicorum nosocomia, Ecclesiæ, sint Marsupia vestra.

Tangit te DEUS, adversis casibus fortunæ famæq; honestæ, filius aut filia es Ecclesiæ Sanctæ, repende grates, benedic Cordi Jesu, tot amaritudines, miserias, opprobriaq; tui gratiâ perpesso, nunquid enim ignoras, quantos mortalis vitæ suæ tempore despectus toleraverit Jesus, attrectata est stirpi & familia ejus, dum digito monstraretur insultantibus Pharisæis dicitur de familia Regum descendere, nonne fabri filius est. Redarguta virtus ejus dùm conscij eum à Nazareth oriundum sugillarent. De Nazareth quid boni veniet. Reprehensa est illius doctrina, dùm palam in oculis Jesu murmurarent traductores, ubinam hic literas didicerit? acerbum id toleratu fuit Cordi Jesu, ad hæc tamen omnia obmutuit, nec Genealogiam suam deduxit, nec virtute florentem Patriam suam propugnavit, nec sapientiam exageravit, cuncta silentio involvens. Ad extremum Cruci dirè affixus, à propria plebe

excarnificatus, Contumelijs & opprobrijs saturatus animam exhalavit; hæcne tuum cor non tangant? Verbo, Devotio erga Dulcissimum Cor Jesu est stabilissimus modus acquirendarum Virtutum Christianarum & supererogatoriæ perfectionis. Illi qui salutis humanæ curam gerunt, & conversionem animarum zelant, invenient vim efficacissimam ad devincenda corda obstinatorum suffragante sibi devotione ad Cor Jesu. Verbo unusquisq; & auxilium suo statui opportunum, & tranquillitatem familiæ, levamen laborum, benedictionem Cælestem, in effectuandis sanctis cogitationibus, postremo felicem æternitatem per hoc Deliciosissimum COR JESU obtinebit. Quicunq; sic in terris absconditio in Eucharistiæ SACRAMENTO debitum honorem & gloriam dextro effundit corde, alios etiam ad similem devotionem pertrahendo. In confirmationem hujus, quàm grata & accepta DEO sit hæc pietatis affectio. Allego hic adhuc Epistolam à piissima jam præmemorata *Religiosa Maria Margareta à la Coque* scriptam ad suum Directorem de visione habita, jamq; nuper insinuata. Talis

igi-

igitur tenor est. *Quantum ad extraordinariam gratiam, quam mihi DEUS præstitit, in data cognitione voluntatis suæ, quâ omnino voluit ut hæc Devotio publicaretur ac propagaretur, quid & quomodo factum sit in vi obedientiæ Reverentiæ Vestræ notifico, Die Festo S. Joannis Evangelistæ, receptâ à DEO gratiâ, aliquantum simili ei quàm dilectus hic Discipulus obtinuerat in ultima Cæna, hoc Divinum* Cor *ostensum mihi fuit, quasi in Throno ignito evibrans radios suos in omnes partes splendidiùs Sole, & lympidiùs Crystallo, valnus quod ei erat inflictum in Cruce, clarè apparebat. Corona spinea circumdabat hoc Sacratissimum* Cor, *Crux porrò supra illud eminebat. Interim inspiravit mihi Salvator meus cognitionem desiderij sui quod habet, velle se perfectè ab hominibus amari, adeoq́ desiderium hoc effecit in illo, ut novam amandi se ipse declaret inventionem, revelando ei* Cor *suum, & aperiendo ei omnes in illo Thesaures, misericordiarum & gratiarum ad suscipiendos singulos. Quòd hæc instrumenta Passionis ejus clarificarent infinitum ejus amorem erga nos, ex quo omnes passiones, dolores, contemptus, ipsumq́ mortem pro uobis sustinere dignatus est. Quod statim sub tempus Incarnationis ejus*

omnia

omnia hæc tormenta, & despectus illius oculis nudi & aperti fuerint, eodemque momento descensûs de Throno Patris sui Cœlestis in viscera intemeratæ Virginis Matri suæ MARIÆ Crux hæc plantata fuit in CORDE ejus Sanctissimo, cum protinus amore nostri perferret inopiam, miserias, dolores, quæ in Sanctissima humanitate sua toleraturus erat toto decursu vitæ suæ, intuebatur hos etiam despectus, ingratitudines & obstinationes, quas decocturus erat usque ad consummationem sæculi in Sanctissimo Altaris SACRAMENTO. Subjecit mihi postea Salvator, Filia mea, Intentio mea, ob quam te mihi assumpsi singularem tui curam ab infantia gerens. Ipse tibi Magister & Dux existens, non alia est nisi ut te paulatim disponerem ad accumulandas tam ingentes gratias, quarum hanc quoque excellentissimam scias, in qua aperio tibi COR meum. Provoluta itaque in terram adoravit hoc Divinum COR. Præterea subjunxit CHRISTUS. En habes COR meum, in quo reperias omnes Thesauros dilectionis, gratiæ sanctificantis, & salutis inibi inclusos. Ex quo omnes quicunque voluerint mihi amorem pro amore, ac possibilem honorem rependere, ditentur affluenter, certificans simul eos, qui teneriori pietatis sensu erga hoc Sa-

cro-

crosanctum COR afficerentur copiosis obærandos favoribus, omnesq; illos locos in quibus reperietur Effigies CORDIS hujus Divini in proposita Idea expressa, larga Cælesti benedictione, multiplici sorte replendos.

In alia Epistola ait: Eccur non universo prædicem Orbi omnia hæc, quæ perspecta habeo de hac acceptissima Devotione, quas gratias, Charismata & benedictiones suas Divinas pollicetur JESVS illis, qui hoc Dulcissimum COR coluerint, non autumo in vita Spirituali fore præcellentiorem methodum brevi acquirendæ eximiæ perfectionis, quàm esse pium erga COR JESV. O si nossent homines, quantum libeat hæc devotio Salvatori, nemo tam induratæ mentis esset, qui ejus in amorem se totum non effunderet. Deniquè quivis fateri cogitur, nullum in mundo extare, qui non sortiretur insigne auxilium è Cælo, qui verum amorem JESV CORDISq; ejus Divini foveret. Hactenus sunt verba hujus devotæ Religiosæ ex Historia Vitæ ejus excerpta, quæ Anno 1690. cum opinione præclaræ Sanctitatis Vitæ suæ circulum absolvit. Sunt & aliæ commendationes hujus Divini CORDIS JESV stimulantes ad amandum & adorandum illud intuitu ingentium gratiarum & beneficiorum, quæ continet

in se:

in se: sollicita es salutis meæ (ait S. Elzearius ad Sponsam suam Delphinam) scire cupiens ubinam sim: quære me proinde in CORDE JESU, *ibi me reperies. Rue frequenter in amplexum ejus, adorando illud in Divinissimo Altaris* SACRAMENTO.

Addo Lanspergij verba. Esto insigniter pius in COR Sanctissimum JESU, plenum dilectione & misericordia tui, per illud & cuncta poscere debes, quæ cupis, per illud ac in illo offerre debes Patri æterno universa bona quæ facis & mala quæ sustines, hic est enim thesaurus gratiarum DEI & donorum.

Nos itaq; desiderantes ut omnes fideles hoc Dulcissimum COR JESU, venerentur, diligant, & incessanter adorent, ad suam æternam hoc medio salutem acquirendam. A Sede Apostolica benedictione acceptâ, humillimè imploravimus facultatem, celebrandi solenniter Festum CORDIS hujus Sacerrimi. Introducendiq; Congregationem seu Confraternitatem ejus, in Nostram Ecclesiam. Quod annuente singulari DEI providentiâ, Anno præterito 1717. Nacti sumus cum magnis indulgentijs & gratijs ab eadem Sede Apostolica ad hoc

collatis, ut inferiùs ad meliorem singulorum notitiam apponentur. Utq; quivis colligere possit, quantus thesaurus nobis est impertitus.

Introductio hujus Confraternitatis facta est solenniter Feria Secunda Pentecostes. Die 6. Junij, Anno 1718. Uti in Albo inscriptionis fuse describitur. Hic quemvis commonitum volumus, quod hæc Confraternitas, in Fratres & Sorores Congregationis hujus nullam inducat obligationem, proinde nemo illorum tenebitur sub peccato, ad absolvendas Orationes vocales. Imò, nec ad ullam obligationem ex his, quæ in hoc libello ad utilitatem spiritualem, & solatium Confratrum infra specificantur. Adeò; quod etiamsi horam devotionis, quam sibi elegerint, intermitterent, non peccarent, nihil tamen sciant se lucraturos gratiarum divinarum, concessarum eis, qui eandem hodiernæ devotioni huic consecraverint, & consumpserint. Nam sicut Benignissimus Salvator in charitate perpetua dilexit nos ante sæcula, ita exigit, ut amorem amore reciprocantes, non coacti sed ultrò ac sponte svavissimo Cordi ejus, à quo omne bo-

num,

num, & beatitudo æterna pendet inceſſanter debitum cultum, laudem & adorationem impendamus.

I. *INTENTIO & FINIS ob quem inſtituta eſt Congregatio CORDIS JESV.* Prima & principaliſſima hujus devotionis, eſt adoratio continua CORDIS Domini Noſtri JESU CHRISTI in Sacramento Euchariſtiæ latentis, in recompenſationem omnium cõtumeliarum, illuſionum, inhonorationum, & ſacrilegiorum, quæ committuntur Communionibus Sanctis, contemptuum etiam in Expoſitionibus ejusdem Sanctiſſimi SACRAMENTI in Altaribus, ab Hæreticis, Infidelibus, & pravis Orthodoxis. Unde ad hanc DEO acceptiſſimam intentionem, qui voluerint inſcribi in Album Adoratorum Dulciſſimi CORDIS JESU, eligent ſibi unusquisq; illorum horam unam vel duas in Anno, vel plures etiam juxta ſuæ pietatis modum de Die, vel nocte, quàm commodiſſimam & aptiſſimam ſuæ erga hoc COR JESU devotioni coram Diviniſſimo SACRAMENTO impendendæ cognoverint. Præſertim in hac Eccleſia ubi Congregatio hæc fundata eſt. Illi porrò qui extra hanc Urbem degunt, poſſunt Devo-

tionem præsentem celebrare in quocunq; viciniori Templo, aut Domi præviâ prius Sacramentali Confessione & Communione. Personæ Claustrales in proprio Choro aut Cella. Sacerdotes Religiosi Sacrificium Missæ coram Altari CORDIS JESU recitabunt, si ad hoc licentiam Superiorum obtinuerint. Peregrè constituti, & horologio destituti, ad arbitrium orabunt. Infirmi, valetudinarij, ac debiles, saltem alios ad persolvendum hoc pietatis pensum substituant, si per se soli nequeant, aut Missam de CORDE JESU celebrandam procurent.

2. *INTENTIO*. Quoniam COR JESU in Cruce pendentis in mortis agone gravissimis doloribus, & amaritudinibus fuit saturatum, ob concursum dolorum totius corporis sui ad illud veluti centrum suum, sivè commodo tempore oraverint, sivè præstitutam horam celebraverint, adorantes hoc Dulcissimum COR, in recompensationem illusionum, contumeliarum, & contemptuum, ad quos sustinendos illud unicus nostri amor induxit; conabuntur per quàm studiosiùs, etiam internas illas ejus angustias ac dolores singulari affectu

pro-

prosequi, quas in sua humanitate sustulit. Cùm præsto essent oculis ejus omnes hominum ingratitudines, nihil tamen remisit in amore nostri COR JESU, aut dedignatum est largiri se nobis in Cibum in Sanctissimo SACRAMENTO, eo ferè tempore, dùm tota Jerosolyma in ejus perniciem conspirasset. Igitur humillimâ adoratione suavissimo CORDI ejus redditâ offerent hanc devotionem cum corde contrito, & cum seria peccatorum detestatione, ad impetrandum felicem de corpore exitum. Certum enimverò est, eos beato fine supremum diem oppetere, qui submersum amaritudinibus Crucis, COR JESU viventes adorassent.

3. *INTENTIO.* Ad lucrandum gratiam, opportunaq; à DEO ventura solatia, in omnibus casibus, periculis, ærumnis, in miseria, egestate, causis desperatis, in cunctis demum occasionibus, ac in unaquaq; necessitate spirituali, pariter & corporali, COR quippe JESU plenum amore generis humani gaudet semper abundè consolationem manare super confugientes ad se, quod multis argumentis liquido patet. Habeat ergo vel in fine sæculi misericors

Deus Amatores Cordis sui, ut in die Judicij declinemus confusionem, & exprobrationem ingratitudinis nostræ, ejus Nomine à Prophæta graphicè descriptam. Et quæsivi qui simul contristarentur, & non inveni, oblivioni datus sum tanquam mortuus à corde.

Certum est datum esse oblivioni Christum, à Judæis, Hæreticis & Paganis, abscondito in Sanctissimo Sacramento Jesu summas contumelias & despectus irrogantibus, partim per horrendas blasphemias, partim pessumdando, bestijsq; devorandam tradendo Eucharistiam. At cogitemus & consideremus etiam, quanta Salvator Noster patiatur à malis Catholicis, qui eum non minori afficiunt contumelia, Videmus hodiedùm abominationem desolationis locorum sanctorum. Sanè non constat. Quis potiori ingratitudine notandus sit? num Hæreticus, idcirco Ecclesias & Sanctuaria DEI prophanans, quod minimè credat præsentem ibi Christum? Num Catholicus? Qui fide illustratus coram DEI Majestate irreverenter se se sistit & gerit.

Infortunati Judæi Jesum in medio sui

non

non cognoſcentes periêre, & quomodo nos CHRISTUM in Sanctiſſimo contineri SACRAMENTO nobis gratulantes, gloriari valeamus eundem nos nôſſe, ſi illi debitum cultum & reſpectum in Sanctuarijs Eccleſiarum haud impendimus.

Magnates permittite quæri. Noſtisne JESUM? tàm ſevera animadverſione, levem retardationem reſpectûs & polytiei erga perſonas veſtras, de ſervis & ſubditis vindicatis, contemptus porrò & inhonorationes Supremo Domino Cæli & terræ in Eccleſijs irrogari ſoliti, non vos tangunt! Hæccinè eſt viva fides, realis ejus in auguſtiſſima Euchariſtia præſentiæ? Quot novellas & rumores excipitis in Templo, quot negotia in hoc Sancto loco ordinatis! Id ſanè in conclavi & palam in oculis Monarchæ & Regis veſtri ne utiquam ageretis, cujus præſentia intra debitam vos continet modeſtiam. Minimè tamen præſentiſſimos DEI oculos ubiq; penetrantes veremini.

Vulgus, & variæ conditionis popule, noſtinè Dominum & DEUM tuum in medio tui? qui tàm alacres contenditis & præcurritis in obſequium eis, à quibus

gratiæ alicujus lucrum præstolamini, omniq; vos custoditis cautela, coram eis quos metuitis, quanquam omni penitùs respectu & præmio omnia vestra destituuntur merita & fraudantur, nè unum tamen vobis vacat momentum, quo homagia vestra DEO, & Salvatori vestro immoletis. O quàm ægrè & compassivè sufferc ingratitudinem hanc. COR ejus Sanctissimum semper nobis beneficum.

Servi DEI, Sacerdotes, & Religiosæ animæ vos ne eum cognoscitis? qui semper est in medio vestri, in proprijs penetralibus eum habentes, raro eum interdum visitatis. Nonnè Regina Austri consurget in Judicio contra vos, & exprobrabit vobis, quod à finibus Regionum venit audire sapientiam Salomonis. Vos tamen eum, qui est plus quàm Salomon negligitis.

Exestuant Angeli anhelantes ad adorandum Divinissimum COR JESU in Sanctissimo Altarium SACRAMENTO tectum vos veluti invitos, vix Festi dies ad Ecclesias propellunt & invitant.

Parétes, Liberos suos speciosis moribus, sæculari imbuunt politie, minimè tamen ad devotionem in Templo, aut jugem DEI retinendam præsentiam erudiunt.

Fucato & calamistrato ornatu, sæpeq; cum scandalo aliorum exquisito mundo muliebri sese comunt Domicellæ & Virgines, altera alteri palmam luxus præripere gestit, Ecclesiæ apparatus sæpè viles & detritos non advertunt, ô quot templa depauperata & neglecta! adeò, ut unius plebei casa interdum sit nitidior. Tabernaculis DEI viventis quo tamen minimè tanguntur.

Multi Sacrificium Missæ audiunt adeò attenti ac si comediæ alicui interessent, in ingressu Templi, unum incurvant genu, in signum fidei de DEO hic abscondito mox tamen horum obliviscuntur; sedent, stãt, confabulantur, familiaritates ineunt, rumores indagant, imagines aliorum, quam quisq; vestitus, quam incedat delibant. vestium artificium excerpunt. En ergò honor, adoratio DEO ab hominibus sveta tribui, ingrediuntur Templum veluti cõclave, consistunt ante expositam Majestatem Sacramentati DEI, tanquam si coram imagine simplici sisteretur.

O Domine DEUS noster, quàm ingens nostra ingratitudo! intuemur, & recognoscimus magnam super nos gratiam & miseri-

ſericordiam Tuam, nullas tamen Tibi grates rependimus. Hæc conſideratio ſi nos haud emolliat, duriora adamante pectora noſtra fateri neceſſum eſt. Viſceroſiori concutimur dolore, ſuper tormentis & torturis hominis quantumvis ignoti! CHRISTUS in Sanctiſſimo SACRAMENTO contumeliatus, deſpectus, reprobatus à populo electo, ad compaſſionem non concitabit corda noſtra? Repræſenta ô homo contemptum, injuriamvè quam non devoraverit JESUS, idq́; ex nimio noſtri amore, qui eum ad cuncta hæc toleranda coegit.

Hic itaq́; Primarius Scopus & Intentio Devotionis ad COR JESU, ut recompenſentur à nobis omnes contumeliæ & inhonorationes quæ illi irrogantur, continua adoratione, devotione, & modeſtia, quâ in conſpectu Majeſtatis ejus Divinæ nitere debemus. Tametſi autem Eccleſia decreverit Solennitatem CORPORIS CHRISTI cum Octava, ſub qua triumphaliter obeuntur, Proceſſiones, aliæq́; devotiones. Attamen hoc ipſo Feſto ſæpiusq́; ſub tempus illarum Proceſſionum, plurimas contumelias, & deſpectus tolerat JESUS in Sanctiſſimo SACRAMENTO, non ſolùm ab Infidelibus &

Hæ-

Hæreticis, verùm quod pejùs eſt, ab impijs, pravis, & obſtinatis Catholicis. Et hæc ratio eſt, quod ipſe Salvator Primam Diem Veneris poſt hanc Octavam (ut ſupra memoratũ eſt) cõſtituerit, ut hac die COR ejus Dulciſſimum reperire poſſit veros ſui adoratores & amatores. Prima ſolennitas eſt Feſtum Pretioſiſſimi CORPORIS ejus. Secunda eſt dies Sacra CORDI ejus Dulciſſimo. In Primo Feſto triumphat Dilectio Ejus erga nos. In Secundo noſtra erga eum Charitas debet triumphare. Die Feſto Sacratiſſimi CORPORIS CHRISTI, totaq; ſua Octava Sancta Eccleſia declarat nobis quàm jugiter nos CHRISTUS dilexerit. CORPUS & SANGVINEM ſuum Diviniſſimum nobis in Cibum largiendo: At nos Prima poſt Octavam recurrente die Solennitatem CORDIS JESU celebrantes. Toti Cælo & terræ noſtrum erga CHRISTUM amorem repræſentare tenemur. Ideoq; veri amatores & adoratores hujus CORDIS Svaviſſimi. Nominatim Fratres & Sorores hujus Congregationis omni modo conari debẽt, cum ingenti & notabili devotione Diem hunc tranſigere totum tempus matutinum inſumendo (quantum ipſis ordinaria per-

mit-

mittent negotia) Devotioni in Ecclesia fundendæ, Sacramentalem Confessionem & Communionem hac intentione, sæpiùs repetendo Sanctissimum Eucharistiæ SACRAMENTUM frequentando, exercere gestiant opera misericordiæ, viscerosissimo cordis sui affectu revereri concupiscentes Sacramentatum DEUM.

Modum Devotionis pro singulis diebus, Hebdomadis, Mensibus, Annisq; singulis in fine libri hujus reperies.

Informationes Necessariæ.

Confratribus & Sororibus hujus Congregationis ad lucrandas Indulgentias à Sanctißimo Domino Nostro Summo Pontifice conceßas.

1. Eo die quo quis nomen suum referre voluerit in Album singularium adoratorum Dulcissimi CORDIS JESU, Confessionem facient & sument Sanctissimam Communionem hâc intentione. Idem præstandum est illâ horâ, quam sibi quisq; ad peculiarem adorationem CORDIS JESU præfixerit.

2. Post

2. Post Inscriptionem si voluerint (id enim cujusq; voluntati subjectum est) absolvent, quinque Ferias Sextas cum Confessione Communione, & extraordinaria aliqua mortificatione.

3. Ipso Festo die Dulcissimi Cordis hujus, quod semper incidit Prima Feria Sexta post Octavam Corporis Christi opus est ut confiteantur & communicent cum Oratione ad intentionem Sanctæ Ecclesiæ, in Ordine ad lucrandam Indulgentiam plenariam (Orationem hanc in fine reperies).

4. Quinque Feriæ Sextæ, computando primam ab ipso Festo cum singulari Devotione, Confessione & Communione decurrent in honorem Cordis Jesu.

5. His Quatuor Festis huic Congregationi annexis nempe in Festo Septem Dolorum B. V. MARIÆ, quod incidit semper Feria Sexta post Dominicam Passionis. In Ascensione Christi, Diebusq; S. Joanni Evangelistæ, & S. Augustino Sacris, confitebuntur, & communicabunt in Templo Monialium Visitationis si possint, vel si nequeant saltem in proximiori Ecclesia.

6. Omnes Ferias Sextas totius Anni,

præ-

præsertim Mensis Martij, confitendo & communicando (si qui possint) devotè in honorem Dolorum CORDIS JESU decurrent. Mortificationem aliquam, & opus misericordiæ adjungendo. Super omnia verò omni tempore fugiendo detractiones, & maledictiones proximi, quanquam graviter ab ipso læsi forent. Exemplo CHRISTI, pro suis Crucifixoribus deprecantis, peccatumq; eorum ignorantiâ extenuântis, Simul etiam rememorando, quàm pridem DEUM offendimus, tamen nos in gratiam suam recipit, vix corde contrito peccata nostra recognoscentes in Pænitentiæ Sacramento. Singuli peccavi Domino dicimus Dimittite & dimittemini, nolite judicare & non judicabimini; ait Salvator. Mendacia, Juramenta, Dæmonum nominationes, Maledictiones, Ebrietates subterfugiте Catholici. Hæ sunt enim offensæ graví mærore lancinatnes COR JESU, & graviori præ illo quem in Passione & morte sua sustinuit vitam pro nobis effundendo.

7. Missam Confraternitatis coram Altari CORDIS JESU qualibet Feria 6. secundùm posse audiant, absq; onere tamen ad lucrandam Indulgentiam ordinato.

8. Sing

8. Singulis diebus quantum per tempus licuerit recitabut 5. Pater noster, & Ave MARIA, & unum Credo in honorem CORDIS JESU. At festivis diebus congruum foret recitare Officium & Litanias de eodem CORDE Sanctissimo, aliasq; Orationes singuli secundùm suam elevationem.

9. Publicis Quadragesimæ Passionibus interesse ibiq; devotè dolens COR JESU adorare.

10. Cùm Horologium sonat reminisci amoris CORDIS JESU erga humanum genus, quo nos ante sæcula dilexit elevando affectum tuum. Venerare & adora illud.

11. Chartulam in qua notata est hora Orationis singuli penes se portabunt. In tempore autem mortis rogabunt post suum exitum reddi eandem illuc ubi sunt inscripti, quatenus illam horam alius assumat, ipse verò Orationibus Confratrum fulciatur.

12. Hora quam sibi quivis ad devotionem assumpserit felicem è vita exitum per hoc Sanctissimum COR implorabunt.

13. Portabunt signum hujus CORDIS Dulcissimi quale quisq; habere poterit, priùs tamen benedicendum est.

14. Quia verò Religiosæ Visitationis B. V. MARIÆ in sua Ecclesia Capellam non habent, quatuor prænominatis Festis, huic Congregationi annexis, celebratur devotio cum expositione Venerabilis SACRAMENTI in Sacello CORDIS JESU. Sumptibus Benefactorum quos humiliter exorant. Cui devotioni Fratres & Sorores præsentialiter debent interesse, omnes suam devotionem & Actum placationis simul cum Sacerdote absolventes. Hæc autem Devotio incipit hora nona.

15. Sciendum quoq; est in Ecclesia Visitationis Altare CORDIS JESU esse privilegiatum pro Defunctis Sodalibus hujus Confraternitatis. Coram quo quavis Fer: 6. Hora 9. legitur Missa de hoc CORDE Sanctissimo ex fundatione cujusdam Devotæ Personæ.

16. Qui prolixiorem informationem de Origine hujus devotionis desiderat, aut Nomen suum in Librum Congregationis vult inscribi, recurrat ad Religiosas Visitationis. Qui etiam vellet fundationem aliquam facere, aut quolibet Mense pro Defunctis celebrandam Missam sancire, aut in necessitates & ornamentum Altaris

ob amorem Cordis Jesu Eleemosynam largiri, ibidem recurrat.

17. Opera bona exequi cum intentione per ea honorandi Sanctissimum Cor Jesu, quæ voluntariè & ex amore manare debent; opera enim misericordiæ non sunt expressa in Bulla Papali, tanquam novum onus, quod imponeretur Fratribus & Sororibus hujus Congregationis, cuiq; enim perspectum est probè, quod eorum executio sit principalissimum & per necessarium acquirendæ salutis medium, cum ipsa fides edoceat, absq; operibus bonis neminem salvari posse. Unusquisq; secundùm statum, conditionem, & posse suum in illis se exercere tenetur, & hæ Indulgentiæ à Sanctissimo Domino Nostro concessæ sunt, non alio fine, nisi ut cunctorum fidelium Amatorum Cordis Jesu mentes induceret, ad ferventem ejus dilectionem, & gloriæ ejus augmentum.

Abundè etiam Christi fidelibus constat quàm accepta sint Cordi Jesu opera misericordiæ erga proximum, ut quod amore nostri exinanitum, & transfixum fuerit in Cruce, justum igitur est, ut Confratres & Sorores hujus Congregationis, quò ad

hoc, æmulentur Cor Jesu per exercitium operum misericordiæ quâ spiritualium, orando sæpiùs pro Animabus Defunctorum hujus Congregationis, quà externorum, per subsidium, sublevationem Eleemosynarem inopum, quod cujusq; voluntati committitur absq; onere cujusquam obligationis.

INDVLGENTIÆ

Fratribus & Sororibus Gongregationis CORDIS D. N. IESV Christi à Sanctissimo Domino Papa Innocentio XII. concessæ.

1. Die Inscriptionis in prædictam Confraternitatem, Indulgentia Plenaria.

2. Ipso festo Cordis Jesv, nempè Feria 6. post Octavam Corporis Christi, Indulgentia Plenaria.

3. In hora mortis præmissâ Confessione & Communione (si fieri potest) aut eliciendo actum contritionis, in articulo mortis constituti, & Nomen Jesv ore vel corde proferendo, aut signis pænitentiæ remonstratis, Indulgentiam Plenariam consequuntur.

4. In

4. In festis annexis Congregationi Sanctissimi CORDIS JESU, & ab ordinario loci approbatis nempè in Festo Dolorum B. V. M. Ascensionis CHRISTI, D. Joannis Evangelistæ & S. Augustini, Indulgentia Septem Annorum & totidem Quadragenarum.

5. Quicunq; Missæ Sacrificium recitaverint vel audierint, aut quocunq; tempore, & præsertim singulis Ferijs Sextis Mensis Martij coram Altari CORDIS JESU pias preces fuderint, similem Indulgentiam lucrantur.

6. Quoties verò Divinis Officijs in eodem Templo aut sacello quocunq; tempore absolvendis, seu Devotioni publicæ, aut privatæ, aut Congregationibus hujus Confraternitatis ubicunq; præsentes interfuerint, 60. Dierum Indulgentiam consequuntur.

7. Qui Corpora Defunctorum Fratrum & Sororum fuerint comitati, vel funus eorum procuraverint, aut eosdem ex charitate sepelierint, similem Indulgentiam adipiscuntur.

8. Comitantibus, euntes cum Sanctissimo Eucharistiæ SACRAMENTO ad infirmum, & qui in Processionibus Sanctissimo SACRAMENTO præsentes interfuerint, Indulgentia eadem.

9. Mane, Meridie & Vesperi ad pulsum pro Defunctis quinquè Pater noster, & Ave

MARIA, orantibus pro Animabus mortuorum Fratrum & Sororum hujus Congregationis, & JESU COR salutantibus, Indulgentia eadem.

10. Quodcunq; opus bonum patrantibus, ex intentione Amoris CORDIS JESU, ut potè: qui converteret Hæreticum, & ad viam salutis induceret peccatorem errantem, aut cum suis inimicis reconciliaretur, alijsvè ad concordiam profecerit, aut Inopes & Peregrinos hospitio exceperit. Inscios & Ignorantes in Mandatis DEI erudierit, aut quodcunq; Charitatis opus & pietatis exercuerit, toties pro uno quoq; prædictarum actionum 60. dies Indulgent: ex inflictis, aut quomodocunq; illis debitis Pænitentijs, juxta formam Ecclesiasticam illis relaxantur, hoc Privilegio in perpetuum valituris.

11. Quicunq; Sacerdos, sivè Secularis sivè Regularis Missam pro Defuncto Fratre vel Sorore hujus Cõgregationis in die Cõmem: Omnium Fidelium Defunctorum, & Singulis per Octavam diebus, & semel singulis Hebdomadis Feria Sexta coram Altari Dulcissimi CORDIS JESU absolverit, hæc Anima de Thesauro Ecclesiæ Plenariam Indulgentiam consequetur. & per merita CHRISTI, Beatissimæ Virginis & Sanctorum Omnium illi suffragantia, ê flammis Purgatorij liberabitur

Vide

Vide itaq; Anima pia Christiana quanta tibi sint erogata gratia ad acquirendam salutem æternam. Hæc autem omnia ex Sangvineis meritis JESV *&* CORDIS *ejus svavissimi in Passione pro te exinaniti, ne quæso respuas hæc media, tibi ad meritum beatitudinis perpetuæ proposita. Et præterea tametsi præmemorati favores te parum allicerent. Ipsa Dilectio* CORDIS *Sanctissimi te pertrahere deberet, ad glorificandum & adorandum Bonitatem ejus Divinam. Ergo ad refundendam tam præsignem Beneficentiam, lauda, magnifica, adora, ama hoc Dulcissimum* COR JESV *in tempore & æternitate, omnes Fideles ad ejus amorem stimulare coneris.*

VIRTVTES PRÆCIPVÆ

Quas æmulari debemus.

1. Ingens ejus humilitas.
2. Benignitas etiam erga adversarios suos.
3. Obedientia consummata.
4. Castitas.
5. Patientia.
6. Paupertas expedita.
7. Zelus salutis hominum.

Amatores igitur & Adoratores CORDIS

ejus fideliter se exercere debent in his virtutibus, idem sentiendo cum CORDE JESU, secundùm monitum Doctoris Gentium ad Philipp: 2. Hoc sentite in vobis quod & in CHRISTO JESU.

Quidquid ad salutem nostram necessarium videmus, ex plenitudine CORDIS JESU usurpandum est. Est enim fons vitæ & gratiæ, cum fiducia egentes illud accedamus. Offeramus ei crebro corda nostra omnibus terrenis evacuata, ut ea ipse gratijs impleat suis. Præsentemus frequenter hoc Dulcissimum COR Patri æterno in supplementum nostræ impossibilitatis, & in gratiarum actionem pro ejus Beneficijs, memores existendo quod sicut DEUS Electis suis in Cælo conregnantibus est plena cordium satietas & contentatio, secundùm dictum Apostoli. Pariter COR JESU Salvatoris Nostri & unicum solatium, refugium, præsidium, & omne bonum in terris, his, qui eum diligunt, honorant & adorant in spiritu & veritate.

Deniq; Sanctissimum COR JESU, cum sit fons dilectionis, singulares effectus operatur in illis, qui ei honorem debitum red-
dunt,

dunt, qui sunt, Charitas, Pax, & Unio, exsculpendo in profundo cordium ipsorum, præceptum Dilectionis DEI & proximi, quæ nobis reliquit, ante Passionem & Mortem suam ad Apostolos dicens. Hoc est præceptum meum quod trado vobis, ut diligatis invicem; per hoc cognoscent, quod Discipuli mei sitis, si dilexeritis invicem. *Joan: 15.*

Quid denotet DEIficata Vita interior Dulcissimi CORDIS IESV.

1. Motivum Cordis hujus Sanctissimi significat beneficentiam erga omnes homines suo Sangvine redemptos.
2. Ejus desideria & affectus indicant, quod singulis abundè gratias suas impertiantur, & peccatores conversos ad se amanter suscipiat.
3. Zelus gloriæ Patris sui & salutis animarum.
4. Amor ejus Filialis erga Divinissimam Virginem Matrem suam.
5. Amor ejus erga omnes Electos declaratur curâ & sollicitudine quam habet de Ecclesia Sponsa sua.

6. Amor ejus infinitus, relucens in compassione CORDIS ejus super omnes peccatores & desolatos.

Congreſſus ſeu Viſitatio Spiritualis CORDIS Sanctiſſimi IESV.

FRatres & Sorores ad continuam adorationem CORDIS JESU vocati, quotidie congregabuntur in ſpiritu hora nona de mane, & hora quarta poſt meridiem, ſivè dormitum ituri, aut cùm commodum tempus habuerint, ad hoc COR Sanctiſſimum, tanquam in deſtinato ſibi loco, ad reddendam eidem adorationem, cultum, & laudem, ſinguli ſecundùm inſtinctum, & gratiæ ejus ductum; alij coram hoc Dulciſſimo CORDE deplorabunt peccata ſua, alij Amore DEI flagrantes, ejaculatorios affectus ad Thronum DEI evibrabunt. Alij adorabunt illud pro omnibus illis, qui ipſum non adorant & non norunt, alij canent Laudem DEO per hoc nobiliſſimum COR, in recompenſationem omnium contemptuum & contumeliarum, quas patitur à peccatoribus, alij aſſociabunt ſe Beatiſſimæ Virgini, Divo JOSEPHO, Sanctis

Angelis & Patronis, ad laudandum & amandum DEUM, per COR Filij ejus Unigeniti. Universi stimulos sibi inijcient, ad mutuum amorem & orationes reciprocas, simul in unione Dulcissimi CORDIS ejus, sæpiùs orabunt pro necessitatibus Ecclesiæ, pro conversione Infidelium & peccatorum, pro concordia Principum Christianorum, pro Benefactoribus suis, qui eis aliquid aliquando sivè spirituale, sivè extrinsecum præstitêre. Pro suis inimicis apprecando eis bona, & offensas suas quantumvis gravissimas, amore CORDIS JESU eis remittendo, & pro Animabus in Purgatorio cruciatis omniq; ope destitutis.

Devotio ad SS. COR IESV amore salutis humanæ exæstuans.

Actus Resignationis sui quotidianæ CORDI IESV.

EGo NN. vilissimus peccator, offero & dedico CORDI Tuo Svavissimo JESU mi, Personam meam, vitam meam, labores, passiones, & gravamina mea, amaritudines & mærores cordis mei, nolens in posterum

ſterum ampliùs, uti ulla particula ſubſtantiæ meæ, præter quam ad hoc ut Te amem, laudem, honorem, & diligam modo irrevocabili, faciendo omnia Amore Tui, in abrenuntiatione omnimoda omnium horum, quæ Tibi poſſunt diſplicere. Aſſumo Te hodie & pro tota vita mea, & pro æternitate. O COR Sanctiſſimum in ſcopum amoris mei, in tutorem vitæ meæ in Medicum vertibilitatis meæ, in reſtauratorem omnis malitiæ meæ, in præſidium ſecuriſſimum inſtantis mortis meæ. Eſto itaq; ô COR JESU Juſtificatio apud DEUM Patrem, averte à me ferale Decretum Juſtitiæ illius, præſerva me hodie & ſemper, à minima Majeſtatis ejus offenſa. In Te unicam ſpem meam colloco, in Te confido, ad Te pro adjutorio confugio. Eradica è corde meo quidquid Tibi diſplicet. Inſcribe medullitus in illo Amorem Tuum, nè unquam obliviſcatur Bonitatis Tuæ. Adſcribatur quæſo nomen meum in libro viventium, quoniam omnem ſortem meam & vitam meam trado Tibi, ô Sanctiſſimum COR, cupiens vivere & mori ſervus & mancipium Tuum perpetuum.

Veni-

Venite COR adoremus.

IESU Noſtri Magni DEI
Unum quodque dedicemus
Opus Noſtræ diei
Ut nos ſervet à peccatis
Et à mundi fraudibus
Ac poſt mortem cum Beatis
Jungat Cæli Sedibus.

Actus 2. Oblationis operum quotidianorū in Honorem & Laudem CORDIS IESU.

TIbi immenſas gratias ago ô Benigniſſimum COR Salvatoris mei, pro omnibus beneficijs Tuis, mihi & omni creaturæ Tuæ præſtitis, præſertim quod me ex ineffabili Providentia Bonitatis Tuæ ad præſentem diem præſervaveris, ab omni periculo & improviſa morte. Obſecro ſuppliciter Svaviſſime JESU impertire mihi Gratiam Sanctam Tuam, ut hac die & omnibus diebus vitæ meæ declinem omnē maculam peccati, Tibi fideliter ſerviam, & ex toto corde Te ſuper omnia diligam, offero Tibi etiam omnia hujus diei, & to-

tius vitæ meæ ſubſequentia opera, ac negotia mea, offero cogitationes, eloquia, actionesq; meas, eſuriem, ſitim, etiam corporis mei refocillationem, offero omnes labores, fatigationes, inceſſus, ſeſſiones & requiem meam, omnes anhelitus, ſuſpiria, & reſpirationes cordis mei, univerſas demùm tam internas, quàm exteriores, voluntarias & involuntarias, corporis & animæ meæ, occupationes, commoditates, afflictiones & perſecutiones, quæ mihi obtingere poſſunt. Cuncta hæc Tibi ô Cor JESU amabiliſſimum immolo & dedico; offero inſuper omnium creaturarum actiones; nominatim complurium earum, quæ Tibi Largitori omnium Bonorum, omne bonum non offerunt, per negligentiam & oblivionem, & hoc totum in majorem Gloriam Tuam, in recognitionem Supremi Dominij Tui in me, in conteſtationem ſubjectionis meæ, in recompenſationem omnium contumeliarum, cõtemptuum, & ingratitudinis, quæ Tibi in Sanctiſſimo SACRAMENTO abſcondito irrogantur ab Infidelibus, & pravis Orthodoxis, & in gratiarum actionem pro omnibus beneficijs. Dedico ea Tibi in ſatisfactionem

nem pro peccatis meis, Parentum meorum, Consanguineorum, Benefactorum, Inimicorum & pro omnibus, quocunq; modo ope mea indigentibus, præsertim pro existentibus in peccato mortali, pro illis, qui hodie è corpore mortis hujus, & è tenebris hujus sæculi expedientur, & pro Animabus quas Purgatorij ignis examinat, pro impetratione Charismatum & Virtutum, quas Tu DEUS meus mihi expedire maximè cognoscis, ad laudem Nominis Tui, & salutem animæ meæ. Quam oblationem ut Tibi acceptam facere velis, unio illam meritis Tuis Sacrosanctis, Beatissimæ Virginis DEIparæ MARIÆ, & Divorum Patronorum meorum, quorum intercessione mediante humillimè imploro, nè projicias me à facie Divinæ Majestatis Tuæ, cui sit debitus Cultus & adoratio perennis per infinita sæcula, Amen.

OFFI-

OFFICIUM
DE
SANCTISSIMO CORDE IESU CHRISTI.

AD MATUTINUM & LAUDES.

℣. Cor Jesu flagrans amore mei, inflamma cor meum amore tui.
℟. Amen.
Domine labia mea aperies,
Et os meum annunciabit laudem tuam.
Deus in adjutorium meum intende,
Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri & Filio, & Spiritui Sancto,
Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

HYMNUS.

CÆlestis aulæ gloria;
Qui Sede lapsus ætheris,
Cæli triumphos deseris,
Ut nostra fias Hostia.
JESU voluptas cordium,
Cor ure sacris ignibus

Di-

Dignis ut ornem laudibus,
Cordis Tui præconium.
Jesu Patris Cor unicum.
Puris amicum mentibus
Puris amandum cordibus
In corde regnes omnium, Amen.

Antiphona.

O Sacrum Cor Jesu, Patris voluntati obſequentiſſimum: inclina ad te corda noſtra, ut quæ placita ſunt ei faciamus ſemper.

℣. Paratum cor meum, DEUS cordis mei ut faciam voluntatem Tuam.

℟. DEUS meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.

℣. Domine exaudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

RESpice, quæſumus, miſericordiſſime DEus, Cor Dilectiſſimi Filii Tui, in quo Tibi benè complacuiſti, ejusq; Sacratiſſimi Cordis mæroribus, quos noſtri causâ pertulit, & dignis ſatisfactionibus, quas pro nobis Tibi perſolvit placatûs. Concede corde contrito petentibus, noſtrorum nobis veniam peccatorum: & tanto

Chri-

CHRISTI amore cor nostrum accende, ut ipsius Divini CORDIS affectibus toti incensi secundùm COR Tuum inveniri mereamur. Per eundem Dominum nostrum JESUM CHRISTUM Filium Tuum, qui Tecum vivit & regnat in Unitate SPIRITUS Sancti DEUS, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

AD PRIMAM.

℣. COR JESU flagrans amore mei, inflamma cor meum amore tui.

℟. Amen.

℣. DEUS in adjutorium meum intende,

℟. Domine ad adjuvandum me festina.

℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto,

℟. Sicut erat in principio & nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

HYMNUS.

O COR amoris victima,
Cæli perenne gaudium

Mortalium solatium,
Mortalium spes ultima,
Tu TRINITATIS gloria;
Jungit Tibi se Filius,
In Te Patris sunt gaudia.
JESU, Patris COR unicum,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium, Amen.

Antiphona.

O Sacrum COR JESU salutis nostræ sitientissimum! revoca nos prævaricatores ad COR, ut non moriamur in peccatis nostris.

℣. Paratum cor meum DEUS cordis mei ut faciam voluntatem Tuam,

℟. DEUS meus volui, & legem Tuam in medio cordis mei.

℣. Domine exaudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad Te veniat.

Oremus.

DA nobis Domine JESU Christe COR Tuum,

Tuum, ut illud CORDI Patris offerentes CORDI ejus per omnia placere valeamus. Qui vivis & regnas cum eodem DEO Patre & Spiritu Sancto in sæcula sæculorum, Amen.

AD TERTIAM.

℣. COR Jesu flagrans amore mei, inflamma cor meum amore Tui,

℟. Amen.

DEUS in adjutorium meum, &c.

Gloria Patri & Filio, &c.

HYMNUS.

TE Sole puro, purius,
Verbi DEI Sacrarium,
Verbi DEI palatium,
Templumque Cælo dignius,
Te digna Sedes Numine.
Fœcunda virtus Flaminis,
Illapsa in alvum Virginis,
Puro creavit Sangvine.
JESU, Patris COR Unicum,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium. Amen.

Antiphona.

O Sacrum COR JESU, puritatis exem-

plar perfectissimum, fac nos esse mundo corde, ut secundùm Cor Tuum inveniri mereamur.

℣. Paratum cor meum DEUS &c.

℟. DEUS meus volui, & legem &c.

Oremus.

SUscipe quæsumus Omnipotens DEUS Sacrificium propitiationis, quod Tibi Cor Jesu Filij Tui pro nobis peccatoribus, sub speciebus Panis in Sacratissimo Sacramento absconditum quotidie offert, & dimitte nobis debita nostra. Per eundem Jesum Christum Filium Tuum, qui vivit & regnat per sæcula Tecum & cum Spiritu S. Deus in sæcula sæculorum, Amen.

AD SEXTAM.

℣. Cor Jesu flagrans amore mei, inflamma cor meum amore Tui.

℟. Amen.

DEUS in adjutorium meum, &c.

Gloria Patri & Filio, &c.

HYMNUS.

COr dulce, Cor amabile,
Amore nostri saucium,
Amore nostri langvidum,
Fac sis mihi placabile,
Vindex reis irascitur

DEUS, ſed ut te reſpicit,
Placatus iras abijcit,
Et fulmen obliviſcitur.
JESU Patris COR unicum,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium, Amen.

Antiphona.

O Sacrum COR JESU, hoſtibus tuis mitiſſimum, exultet pax Tua in corde noſtro, ut perſequentibus & calumniantibus nos remittamus de cordibus noſtris.

℣. Paratum cor meum DEUS, &c.
℟. DEUS meus volui, &c.
Domine exaudi orationem, &c.
Et clamor meus, &c.

Oremus.

DEUS Clementiſſime, cujus miſericordiæ viſcera cunctis patent, Majeſtatem Tuam ſupplices deprecamur, ut qui Sanctiſſimum COR JESU devotè veneramur in terris, æterna beatitudine cum illo frui valeamus in Cælis per hoc Dulciſſimum COR JESU. Qui Tecum vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

AD NONAM.

℣. Cor Jesu flagrans amore mei, inflamma cor meum amore Tui.

℟. Amen.

Deus in adjutorium meum, &c.

Gloria Patri & Filio, &c.

HYMNUS.

GRandi reclusum vulnere,
Amor dedit Te pervium
Amor reclusit Ostium,
Hortatur & pervadere.
Quos abluisti Sangvine.
Venis apertis omnibus,
Nos intimis recessibus,
Semel receptos contine
Jesu Patris Cor unicum,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium, Amen.

Antiphona.

O Sacrum Cor Jesu doloris patientissimum, da nobis cor contritum & humiliatum, ut fructus dignos pænitentiæ faciamus.

℣. Paratum cor meum Deus, &c.

℟. Deus meus volui, &c.

Do-

Domine exaudi orationem meam,
Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

DEUS Omnipotens, qui ad redemptionem mundi Vnigenitum Filium Tuum in mortem Crucis tradere voluisti, suppliciter Te obsecramus per Vulnus CORDIS ejus Sanctissimi, quod sustulit in Cruce, libera nos à pœnis inferni, & perduc nos ad gaudia sempiterna. Per Dominum Nostrum JESUM, qui Tecum vivit & regnat in Vnitate Spiritûs S. DEUS per infinita sæcula sæculorum. Amen.

AD VESPERAS.

℣. COR JESU flagrans amore mei, inflamma cor meum amore Tui.

℟. Amen.

DEUS in adjutorium meum, &c.
Gloria Patri & Filio, &c.

HYMNUS.

NOvo DEUS Mysterio
Carnem suam dat pabulum,
Et Sangvinem dat poculum,
Mirabili convivio,
Quem proni adorant Angeli.
Hic temperato Numine,

Sub Mystico velamine,
Fit esca vilis servuli,
Jesu, Patris Cor unicum,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium, Amen.

Antiphona.

O Sacrum Cor Jesu paupertatis amantissimum, pone Te ut signaculum super nos, ut in Te unico Thesauro Nostro totum sit cor nostrum.

℣. Paratum cor meum Deus, &c.
℟. Deus meus volui & legem, &c.
Domine exaudi orationem. &c.

Oremus.

OMnipotens sempiterne DEUS, qui omnes salvas, & neminem vis perire, respice clementer oculo misericordiæ Tuæ respice peccatores ad Te redeuntes, & pro nos peccatores ad Te redeuntes, & propter Amorem Divinissimi Cordis Jesu, Filij Tui, libera animam meam, ab insidijs inimicorum nostrorum, & errantia corda nostra in viam mandatorum Tuorum reducere digneris. Per Jesum Christum Dominum Nostrum. Amen.

AD

AD COMPLETORIUM.

℣. Cor Jesu flagrans amore mei, inflamma cor meum amore tui.

℟. Amen.

Deus in adjutorium, &c.
Gloria Patri & Filio, &c.

HYMNUS.

Cor Matris ad Cor Filij,
Ardens amoris impetu.
In desinente anhelitu,
Suspirat, oblitum sui
Vtrumq; amoris vinculum.
Conjungit arctis nexibus.
Hoc ardet hujus ignibus
Ignemquè reddit æmulum,
Jesu, Patris Cor unicum,
Puris amicum mentibus
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium, Amen.

Antiphona.

O Sacrum Cor Jesu amantibus Te beneficentissimum, deficiat in Te caro nostra & cor nostrum, ut sis Deus cordis nostri & pars nostra Deus in æternum.

℣. Paratum cor meum, Deus cordis mei, ut faciam voluntatem Tuam.

℣. De-

℟. Deus meus volui, & legem Tuam in medio cordis mei.

℣. Domine exaudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad Te veniat.

Oremus.

Respice quæsumus Domine Deus noster nos famulos & famulas Tuas, pro quibus Dominus Noster Jesus Christus Passionem & mortem Crucis subire non dubitavit, & per dolorem ac angustias Cordis ejus, quas toleravit in momento Agonizationis suæ, esto nobis propitius in articulo agonis nostri, Animamq; nostram de corpore migrantem ad gaudia æterna perducere digneris, per Jesum Christum Dominum Nostrum. Amen.

PSALMVS DOXOLOGICVS
In Honorem CORDIS IESV.

Benedicat augustissima Divinitas Cor Jesu, ineffabilis Majestas benedicat illi.

Benedicat Deus Pater Cor Jesu Filij sui Vnigeniti, benedicat Deus Verbum Cor Humanitatis suæ, benedicat Spiritus Sanctus Cor Jesu, benedicat opus admirabile virtutis suæ.

Benedicat Sacrosancta TRINITAS COR JEsu DEI Hominis: benedicat illud in veritate sua.

Benedicat Christus JESUS COR suum, benedicat & superexaltet illud in sæcula.

Benedicat MARIA Virgo COR Filij sui JESU, COR de Sangvine suo à Spiritu Sancto efformatum.

Benedicant COR JESU omnes Chori Electorum DEI, laudent & superexaltent illud in sæcula.

Benedicite omnia opera Domini COR JESU, laudate & superexaltate illud in sæcula.

Benedicat anima mea COR JESU, omnia interiora mea benedicant COR Sanctum ejus.

Benedic caro mea COR JESU, benedicite COR JESU omnia membra mea.

Benedic Persona mea COR JESU, benedicite COR JESU omnes & singulæ actiones passionesq; meæ.

Benedicite omnes sensus mei COR JESU, affectus mei interni & externi benedicite illud.

Benedicite omnes & sigulæ atomi, substantiæ meæ COR JESU, benedicam COR JESU totus ego.

Bene-

Benedicite Cor Jesu aquæ omnes, & universa quæ in eis sunt.

Benedicat Cor Jes orbis terræ, benedicant Cor Jesu omnia quæ sunt, vivunt, & moventur in terra.

Benedicat Ignis, Aer, Nubes, & Pluviæ Cor Jesu Serpentes & Volucres omnes laudent illud.

Benedicant & paveant Cor Jesu omnes abyssi, omnes inferni, Incolæ trementes adorent Cor Jesu.

Benedicant omnia quæ in Cælo sunt Cor Jesu, universa quæ in terra sunt adorent Cor ejus.

Benedico Te Cor Jesu toto me, totâ animâ meâ, toto Verbo Tuo.

Benedicat tota æternitas Cor Jesu, omnia infinita sæcula sæculorum laudent illud.

Cor benignum, laude dignum Te canam in æternum, ut finitâ carnis vitâ, non cadam in avernum.

Oratio ad Divinissimum Cor Iesu.

O Amantissime Jesu, qui ad attrahendum corda nostra, in Tui amorem Svavissimum Cor Tuum in Augustissimo

Altaris SACRAMENTO in Cibum & solatium nobis largiri voluisti, exaudi orationem Te invocantium, & concede propitius, ut omnes qui Divini hujus CORDIS inhonorationem, hominumq; ingratitudinem deplorant, eamq; execrando, omnem possibilem venerationem CORDI Tuo exhibere conantur, amore illius inflammentur, Tuamq; erga se bonitatem æternum glorificare valeant.

Omnibus & singulis confessis, & Sacrâ Synaxi, refectis hanc Orationem coram Altari CORDIS JESU recitantibus 300. dierum Indulgentiam concessit Andreas SanctaCrucius Sanctissimi Domini Nostri à Latere Nuncius, alio verò tempore eandem persolventibus, Indulgentiam centum dierum.

LITANIÆ SACRATISSIMI CORDIS IESV.

KYrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.
Christe audi nos, Christe exaudi nos.
Pater de Cælis DEUS, Miserere nobis.

Fili

Fili Redemptor mundi DEUS, Miserere nobis.

Spiritus Sancte DEUS, Miserere nobis.

Sancta Trinitas unus DEUS,

Cor JESU Filij Patris æterni,

Cor JESU Filij Virginis Matris,

Cor JESU Templum DEI Sanctum,

Cor JESU Sanctuarium Domini,

Cor JESU Tabernaculum Altissimi,

Cor JESU Domus DEI & Porta Cæli,

Cor JESU Sedes Magnitudinis & Majestatis DEI,

Cor JESU in quo sunt omnes Thesauri Sapientiæ & Scientiæ,

Cor JESU in quo habitat omnis plenitudo Divinitatis,

Cor JESU Desiderium Collium æternorum,

Cor JESU pascens inter Lilia,

Cor JESU Thesaurus nũquam deficiens,

Cor JESU Dives in omnes qui invocant Te,

Cor JESU de cujus plenitudine omnes accepimus,

Cor JESU vita & resurrectio nostra,

Cor JESU pax & reconciliatio nostra,

Cor JESU fons aquæ salientis in vitam æternam,

Miserere nobis. Miserere nobis. Miserere nobis.

Cor

Cor JEsu puteus aquarum viventium,
Cor JEsu in quo Tibi Pater benè complacuit,
Cor JEsu Hostia vivens Sancta DEO placens,
Cor JEsu propitiatio pro peccatis nostris,
Cor JEsu amaritudine repletum propter nos,
Cor JEsu saturatum opprobrijs,

Miserere nobis.

Cor JEsu attritum propter scelera nostra,
Cor JEsu lanceâ perforatum,
Cor JEsu usq; ad mortem Crucis obediens factum,
Cor JEsu Agni Immaculati,
Cor JEsu fons totius consolationis,
Cor JEsu solatium peregrinâtis animæ,
Cor JEsu refugium nostrum in die tribulationis,

Miserere nobis.

Cor JEsu Salus in Te sperantium,
Cor JEsu Spes in Te morientium,
Cor JEsu Deliciæ Sanctorum onium,
Miserere nobis.

Agnus DEI qui tollis peccata mundi,
Parce nobis Domine.

Agnus DEI qui tollis peccata mundi,
Exaudi nos Domine.

Agnus DEI qui tollis peccata mundi; Miserere nobis.

Actus deprecationis per COR Sanctissimum IESV.

DUlcissime & amabilissime JESU, plenus amoris erga nos, & semper compatiens miserijs nostris; nunquam exinqvibilis in desiderijs Tuis Divinis, ad Te ipsum, & Tuos nobis largiendum thesauros; qui præ nimio amore Tuo factus es quasi victima holocausti in Sanctissimo Altaris SACRAMENTO, in quo quotidie Te Patri æterno pro nobis offers. Sed quorsùm hæc Domine dilectio Tua, quando pro hac in cordibus nostris humanis non vides, nisi ipsam ingratitudinem, contemptum & oblivionem.

Ah DEUS meus, cadens & prosternens, me coram Majestate Tua, peto veniam, misericordiam omnium irreverentiarum & contumeliarum, quas jam passus es ab ipsa institutione hujus Sacramenti, cur ô DEUS meus nequeo lacrymis meis aspergere, sangvine meo mundare locum istum, in quo COR Tuum Divinissimum

ſpretum eſt. Cur vel pro uno momento non poſſum eſſe Dominus cordium omnium hominum, ut offerendo illa Tibi poſſem hoc modo compenſare gravem læſionem bonitatis Tuæ, cum qua tam pretioſum pignus amoris Tui ſuſcipitur?

Verùm ô DEUS, fortè de numero horum ego ipſe ſum? cum ingenti rubore meo fateor, me omnino eſſe. Sed ô JESU mi in corde contrito & humiliato procumbo, ad Scabellum Pedum Tuorum, paratum me exhibendo ad omnia, quæcunq; mihi præceperis, ut hoc modo valeam aliquatenùs gravia mea compenſare ſcelera. Percute, ſeca, affli ge DEUS meus prout Divinæ Tuæ complacuit voluntati, dummodo accepta Tibi poſſim fieri victima, a ſupplendas contumelias Tuas.

Suſcipe Pater æterne, ſuſcipe deſiderium meum, & iſtum actum deprecatorium, quem Tibi offero in unione illius, quem Tibi obtulit hoc Sanctiſſimum COR pro nobis peccatoribus in Monte Calvariæ, Te verò ô JESU Salvator meus, rogo oblivisci digneris mearum ingratitudinum, & facere per gratiam Tuam velis, ut ad effe-

ctum deducere possim voluntatem meam, quam mihi nunc tribuis ad compensandas injurias Majestati Tuæ per contemptum illatas. Da Domine, ut in conspectu Sanctissimi Corporis Tui, cum ea reverentia semper compaream, ut exemplô meô omnes traham ad debitum Tibi reddendum honorem. Super omnia autem rogo Te custodi me ab illa gravissima Tibi contumelia, quâ in suscipiendo Sanctissimo Tuo Corpore à tepidis & sacrilegis offenderis. Præbe Domine cordi meo dispositiones internas necessarias, cum quibus Te semper, tandem in hora ultima vitæ meæ, juxta placitum beneficentissimi CORDIS Tui suscipere possim. A.

Actus fiduciæ peccatoris in CORDE IESV, ante Sanctam Communionem.

O DEUS cordis mei unica spes & solatium meum, ego miser & pauper licet millies omni sim indignus beneficiô, in bonitate CORDIS Tui ita firmiter confido, ut nullatenûs dubitare possim, quin non debeas, nescias, non possis, nec velis ignoscere peccatori, omnemq; culpam

pam pro peccatis commissis condonare. Scio equidem misericordissimum COR DEI mei JESU, quòd si velles secundùm demerita mea mecum agere, non tantùm aliquam gratiam non deberem à Te expectare, sed potiùs millenas pœnas; verùm cùm sciam de Tua abundanter se effundente bonitate, in qua maximis inimicis Tuis benefacere consvevisti; firmiter credo & spero, quod me in miserijs meis non deseres. O Sanctissimum COR DEI mei licet peccata mea tam gravia, eaq; innumera sint, ut puniendis nec mille inferni sufficerent; attamen respiciendo infinitam bonitatem Tuam, eam concipio fiduciam, ut si in arbitrio meo esset eligere Judicem, nullum alium eligerem aut vellem, quàm Te ipsum, neque cuipiam alij confiderem & certam præstolarer veniam, quàm à Te.

Quia verò beatitudinem æternam sum consecuturus, minimè dubito ô Pater pijssime! non per mea enim merita, sed CORDIS Unigeniti Filij Tui, quod fidelibus suis donavit. Inde tali solatio repletus sum, ut videar mihi jam hoc bonum possidere, quod expecto nam Filius

Tuus, qui mihi salutem promisit, & merita sua donavit; fidelissimus est, nec verba ejus mutari possunt.

Hanc igitur fiduciam æterne DEUS, bonitati Tuæ commendo, dignare illam in me conservare, antequam Tecum & Filio Tuo, & Spiritu Sancto æternitate beata conjugar.

Actus amoris ante ipsam Communionem.

NIhil habeo ô dilecte DEUS, Salvator meus, nihil habeo, quod posset placere Tibi: nihil possum facere, cùm nihil sim: habeo COR, & sufficit mihi. Potest mihi auferri vita, fama, sed cor non potest; quô Te DEUM meum Summum bonum possim diligere. Hoc igitur corde Dulcissime JESU volo Te amare; amare autem nolo, tantùm propter hoc, ut Te in æternum amem: suscipere nolo, tantùm propter hoc, ut Tecum nunc & in tota æternitate conjugar. Amen.

Actus Salutationis CORDIS IESU *post Sacram Communionem, quem etiam non comunicans potest recitare quotidie.*

SAlve COR JESU dulcissimum, svavissimum Sanctissimæ TRINITATIS instrumentum. Salve COR mel fluum omnis bonitatis gratiæ Fons vivus. Salve COR amabilissimum, omnium divitiarum sufficientissimum Promptuarium, millies ac millies benedico Te, & saluto in divina bonitate ex quo omnis misericordia manat. O nobilissimum in dignitate Tua & pretiosum COR JESU, saluto Te per mutuum amorem adorandæ Trinitatis Sanctissimæ: adoro Te in abundantia omnium gratiarum quæ fluunt, & in perpetuum fluent super omnes animas sanctas, quas toties respersisti, & imbuisti fonte divinarum tuarum cõsolationum. O COR JESU, COR dulce, COR amabile, COR miseratione abundans, COR charum, COR plenum humilitatis & amoris; in Te immergo animam meam, & in profunditate misericordiæ Tuæ, onera iniquitatum mearum, ac negligentiarum sepelio. Tibi labores meos omnes do, Tibi afflictiones & amaritudines cordis committo.

O COR in odore svavissimum, in svavitate gratissimum; ô Victima dignissima,

Tu ipſum offer Te in aureo amoris Tui Altari, ad reconciliandos nos homines, & in vim omnium dierum meorum, quibus non ferebam DEO fructus actionum mearum.

Benedico Te Cor Jesu in illo amore, in quo per obumbrationem Spiritûs Sancti, ex puriſſimo Sangvine Virginis Sanctiſſimæ conceptum es. Glorifico Te Cor Jesu dulciſſimum, in illo amore, in quo Te ipſa Trinitas Sanctiſſima divinis replevit donis. Laudo Te Cor Jesu dilectiſſimum in illo amore, quo ſemper erga genus humanum ardebas. Veneror Te Cor Jesu clementiſſimum, in illo amore, in quo in Cruce vulnerari voluiſti. Exalto Te Cor Jesu fideliſſimum, in illo amore, in quo transfixum lanceâ Sangvinem & aquam effudiſti, ad abluenda animæ meæ peccata.

Te igitur digniſſima Sancta Trinitas, per hoc benedictum Cor laudo & ſaluto, pro hoc beneficio, quod volueris, ſciveris, potueris & dignata ſis, hoc nobiliſſimum Cor tali amore, & gratiarum abundantia exornare. Ex amore igitur erga Te qualis poſſibilis in me dari poteſt,

Tuæ immensæ Majestati, id ipsum COR Clementissimum JESU offero in ea dignitate, in qua repletum est Divinâ dulcedine, & omnis benedictionis perfectione; rogans suppliciter, ut hoc COR supplere & restaurare dignetur, omnes actiones meas pravas, tam in commissis malis operibus, quàm in omissis bonis per negligentiam. Amen.

Affectus contriti cordis ad IESVM.

TUis Sanctis Pedibus mi JESU substratus,
Posco, Tuo Sangvine, ablue reatus,
Ut, qui nullum respuis, verè pœnitentem,
Imò blandè suscipis noxas confitentem.
En revertor prodigus ad Te mi Salvator,
Cum dolore confitens crimina peccator.
Ah relaxa debita! per COR lanceatum
Et reclude peccanti tutum incolatum.
Cum Petro lachrymante jungo Magdalenā
O! aperi mortuo hanc vitalem venam.
O amor infinitus Dulcis JESU mei!
O Bonitas immensa, CORDIS JESU DEI,
O quàm clemens es illis, qui in veritate
Te quærunt, ah cognoscāt Te DEUS amate.
Hi qui vanitatibus mundi innutriti,
Fac convertant affectûs, vinclis expediti.

O Jesu Cor benignum! ad Te nos cõverte
Dimittuntur peccata, dic nobis apertè,
Tibi Jesu Cor meum, do, dono, resigno,
Et in Tui perennem laudem me consigno.

Adoratio CORDIS Domini IESV.

VEnite COR adoremus
JESU Nostri Summi DEI
Toto corde exaltemus
COR dulce, Amoris rei
Ave COR Centrum cordium
Ave COR meta votorum
Ave COR lumen mentium
Salve pignus salvandorum.
Tuis flammis nos exure
Tuam nobis vitam dona
Tuâ luce mentes ure
Et in Cælis nos corona.

A M E N.

QVIN.

QVINQVENNA
SEU
Præcipuæ Feriæ Sextæ

Ad Adorationem Sacratißimi CORDIS IESV tam hæ, quæ solennes celebrantur cum ipso Festo inchoari solitæ, quàm aliæ & quoties alias aliquis ex necessitate & devotione ad impetrandam gratiam aliquam absolvendi intentionem habuerit præcipuè post inscriptionem ad Confraternitatem in quibus &c.

Feria Sexta Prima.

DUlcissime JESU, per omnem bonitatem CORDIS Tui rogo Te, da nobis verum amorem Tui, super omnia, sicut Tu scis, vis, & es illo dignus.

Dulcissime JESU, per omnem bonitatem CORDIS Tui rogo Te, da nobis perfectam & efficacem omnis peccati maximè mortalis abominationem.

Dulcissime JESU, per omnem bonitatem CORDIS Tui rogo Te, da nobis gratiam ad implendam Sanctissimam Voluntatem

Tuam

Tuam, & ad servanda mandata Tua.

Dulcissime Jesu, per omnem bonitatem Cordis Tui rogo Te, da nobis auxilium in proxima occasione peccati mortalis, præsertim in periculo amittendæ finalis gratiæ, ne vincamur, sed constantes in amore Tui perseveremus.

Dulcissime Jesu, per omnem bonitatem Cordis Tui rogo Te, da his omnibus, qui nunc in mortali peccato jacent gratiam efficacem ad contritionem & veram pœnitentiam.

Dulcissime Jesu, per omnem bonitatem Cordis Tui rogo Te, da omnibus circa animarum conversionem laborantibus, Spiritum Apostolicum infatigabilem. Exalta Sanctam Romanam Ecclesiam, extirpa omnes errores Paganorum & Hæreticorum, ne tot animæ prætioso Sangvine Tuo redemptæ, in æternum pereant.

Dulcissime Jesu, per omnem bonitatem Cordis Tui rogo Te, da omnibus Paganis, Judæis, Hæreticis, ut Te cognoscant, & in vera fide sincerè ament.

Dulcissime Jesu, per omnem bonitatem Cordis Tui rogo Te, da nobis amorem dulcemq; memoriam amabilissimæ MARIÆ Matris suæ.

Dul-

Dulcissime Jesu, per omnem bonitatem Cordis Tui rogo Te, da nobis cor tale, quale habuerunt primi Christiani in fide immobile, in unione stabile, in amore Tui immutabile.

Dulcissime Jesu, per omnem bonitatem Cordis Tui rogo Te, da animabus in Purgatorio existentibus requiem æternam, & visionem Divini Vultus Tui, præcipuè his quæ in vita singulariter Tibi in Sanctissimo Sacramento latenti devotæ fuerunt.

Dulcissime Jesu, per omnem bonitatem Cordis Tui rogo Te, da Ecclesiæ Catholicæ Pastores bonos, prudentes & vigiles qui creditas sibi à Te oves, ad Cælum ducere possent.

Dulcissime Jesu, per omnem bonitatem Cordis Tui rogo Te, da omnibus his, qui servitio Tuo se peculiater consecrârunt, Spiritum verè Religiosum.

Dulcissime Jesu, per omnem bonitatem Cordis Tui rogo Te da omnibus Regnis Christianis, præsertim Regno huic pacem & concordiam.

Dulcissime Jesu, per omnem bonitatem Cordis Tui rogo Te, da omnibus afflictis solatium, desperantibus spem, mutuo in-

fen;

fenſis ſibi unionem, & concordiam, obduratis cor contritum ad pœnitentiam.

Dulciſſime JESU, per omnem bonitatem CORDIS Tui rogo Te, da nobis timorem Divinorum Tuorum Judiciorum, ſed timorem filialem, ut ideò non offendamus Te, quia es infinitè bonus.

Dulciſſime JESU, per omnem bonitatem CORDIS Tui rogo Te, da nobis ardentem amorem Sanctiſſimi SACRAMENTI, quo ad uſq; vivimus; in hora autem mortis, da cibum hunc fortitudinis in vitam æternam.

Dulciſſime JESU, per omnem bonitatem CORDIS Tui rogo Te, da omnibus agonizantibus veram contritionem pro peccatis: libera illos ab induratione cordis, miſerere clementer fragilitati illorum, quâ Sanctiſſimam Majeſtatem Tuam viventes offenderunt, & eſto ipſis in hoc extremo termino miſericors Judex.

Dulciſſime JESU, per omnem bonitatem CORDIS Tui rogo Te, da nunc agonizantibus & nobis poſtea omnibus, ut ultimus Cibus noſter ſit Sanctiſſimum SACRAMENTUM, ultima cogitatio de Paſſione & Morte Tua ultimū verbum: dulciſſimum Nomen Tuum JESUS.

ORA-

ORATIO

Ad impetrandam bonam in corde contritionem.

CLementiſſime Jesu invoco & precor miſericordiam Tuam, per illum infinitum amorem Cordis Tui Sanctiſſimi, qui Te in mortem pro humano genere Patri æterno obtulit, miſerere mei in hora mortis meæ, & omnium nunc agonizãtium, da nobis miſericordiſſimam omnium peccatorum noſtrorum veniam cogitatione, verbo & opere commiſſorum; ſupplendo id, in quo tunc deficiam, quod mihi & modo deeſt, idq; per infinita merita Paſſionis Tuæ, & pretium Sangvinis pro nobis effuſi. Agnoſce Domine in illo periculoſo puncto creaturam tuam, non à Dijs alienis factam, ſed à Te ſolo DEO vivo & vero, non perdat me, non perdat illos Deus iniquitas mea, quos fecit Omnipotens Bonitas Tua. Amen.

Feria Sexta Secunda.

Antiphona.

O Glorioſum Cor Jesu, ad Te oculi omni-

omnium fidelium convertuntur vitam & gratiam à Te recipient, & implebis illos omni benedictione. O COR JESU Filij Unici MARIÆ Virginis super omnia corda svavissimum, imple Virtutibus Tuis intima cordis nostri: dele omnes iniquitates nostras, & fac nos similes Tibi.

PROSA

Sacratißimi CORDIS IESV, ex Mißa de eodem Sacratißimo CORDE excerpta.

FOns perennis gratiarum,
Inundans Orbem terrarum
Rigansq; præcordia.
Jugis aquæ Fons viventis,
Gurges undæ salientis,
In æterna gaudia.
Hoc de fonte Salvatoris,
Si quis sitit, aquas roris
Hauriet cum gaudio.
Quò plus bibunt sitientes,
Plus sitiunt haurientes,
Novo desiderio.
Charæ Sponsæ cor beatum;
Bibit nunquam satiatum,
Ebrium & sitiens

Sit Fons Cordis benedictus
Semper fluens, nec exhaustus,
Ardens, & refrigerans, Amen.

℣. Unam petij à Domino hanc requiram,
℟. Ut inhabitem in CORDE Domini omnibus diebus vitæ meæ.

Oremus.

DUlcissime JESU, in amabilissimo CORDE Tuo repono cor meum, cum omnibus passionibus & concupiscentijs meis, ut illud abundantissimè Sangvine Tuo pretiosissimo imbuere, & CORDIS Tui charitate vincire digneris; ut nunquam ampliùs à Sancto Tui amore & Mandatis Tuis separer. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Oratio ad impetrandam bonam in corde contrito mortem.

DUlcissime Redemptor meus, Domine JESU, per illa lachrymabilia verba, quæ ex impleto amaritudinibus dolorum CORDE Sanctissimo, moriens in Cruce dixisti: DEUS, DEUS meus ut quid dereliquisti me? Rogo Te, non me deseras in hora mortis meæ; recordare Domine operis manuum

Tuæ-

Tuarum ac pretiosæ redemptionis, quam pro nobis procuravisti, & vagabundas per totam vitam oviculas, in agone ultimo redeuntes ad Te Pastorem Optimum suscipe. Suscipe me, suscipe & hos NN. in misericordia Tua, nè confundamur in spe & expectatione bonitatis Tuæ. Tua nos Manus educat de carcere corporis hujus & ad portam Cælestem inducat: Tuum Sanctissimum Cor deficiens cor meum in puncto extremo, confirmet, defendat, & ad vitam immortalem nunquam morientem vivificet. Amen.

Feria Sexta Tertia.

Pater noster, qui es in Cælis.

ÆTerne Deus, gratias Tibi agimus per Cor Jesu Filij Tui unicè dilecti, pro beneficio hoc, quo nos miseros peccatores extulisti ad dignitatem Filiorum Tuorum. Mitte igitur Spiritum Sanctum Tuum in corda nostra, ut illa semper elevemus ad Te cum Filio Tuo Dilectissimo, una cum ipso ad Te dicentes Pater noster, qui es Cælis.

Sanctificetur Nomen Tuum.

Cognoſcatur, ametur, adoretur, & exaltetur per totum orbem Nomen Tuum, Deus Pater Omnipotens: omnes gentes credant, laudent, adorent, Te Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, unum Deum in tribus Perſonis; hoc â Te petimus per dilectum Cor Filij Tui Unigeniti.

Adveniat Regnum Tuum.

O Pater miſericordiarum & Deus omnis conſolationis, mitte ferventes Spiritu Evangelicos Prædicatores, qui coram gentibus Nomen Tuum, & Filij Tui glorificent. Excita in illis Spiritum hunc, quo replevisti Apoſtolos die Pentecoſtes, ut feliciſſimum Nuncium de adventu Regni Tui divulgent: ut Cor Jesu Filij Tui ubiq; adoretur. Verè Rex & Dominus Supremus omnium cordium, etiam nunc pro omnibus nationibus hæreditate ſuâ deprecatur Te: precamur unà & nos per illud, ut amor illius non contemnatur, ſed cognoſcatur, æſtimetur ita in terris, ſicut eſt exaltatus & adamatus in cælis ab omnibus Sanctis.

Fiat Voluntas Tua ſicut in Cælo & in terra.

Ita eſt, Deus meus, opto, ut fiat voluntas Tua mecum, & cum omnibus hominibus: regnet in cordibus noſtris ſicut regnat in Corde Jesu Christi, Filij Tui obedientis Voluntati Tuæ uſq; ad mortem Crucis. Voluntas Tua Sanctiſſima in medio cordis mei eſt; ſanctiſica illud, precor; ut in nullo ei contradicat, omnem æquanimiter Tuam ſuſcipiendo diſpoſitionem, & æternum Providentiæ Tuæ Decretum grato & ſubjecto Tibi corde venerando. Concede, ut ſemper recto corde, & Sancto quolibet opere dicere poſſimus; ô Deus, fiat Voluntas Tua in terra cordis mei, ſicut & in Cælo Cordis Dilectiſſimi Jesu Filij Tui.

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.

O Domine Deus, & Pater Noſter Clementiſſime: Cor Jesu, Filij Tui ſupplicat pro nobis Tibi, ut Cæleſtem Panem Angelorum tribuas nobis, concede igitur, ita nos illo in Sanctiſſimo Corpore & Sangvine ipſius, dignè frui, ut ex hoc pretioſiſſi-

osissimo Cibo fructum animabus nostris percipiamus. Da quoq; & Panem, qui est necessarius ad conservandam corporis vitam: & præsta, ita nos temporalibus bonis perfrui, ut propter illa non amittamus æterna, quæ nobis acquisivit Sangvinis & Mortis suæ superexcellenti pretio JESUS CHRISTUS Filius Tuus.

Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

Pater æterne, accedimus ad fontem Cordis pleni bonitate Filij Tui, haurire charitatem, quæ non est innata nobis. Discimus exemplo illius diligere hos, qui nos odio habent. Ille in Cruce oravit pro inimicis suis; nos quoq; Te deprecamur pro nostris: Domine, dimitte nobis omnibus debita nostra. Da benignissime Pater, optatam pacem, & Spiritum charitatis, ut omnes in perpetuum uniamur in Te per COR JESU Filij Tui.

Et ne nos inducas in tentationem.

Clementissime Pater, miserere Filiorum Tuorum, continuis periculis expositorum. Audi pijssima suspiria CORDIS JESU Filij Tui, hoc Tibi pro nobis supplicat; ut li-

beres nos ab omni tentatione, idemquè Sanctissimum COR sit nostra protectio, refugium inexpugnabile in hora mortis, & ultimo conflictu, cujus victoria æternitatem nostram præcessura est. O DEUS; esto tunc & in perpetuum defensio nostra: respice nos in Persona Filij Tui, & per COR illius Sanctissimũ, si propitium ostenderis nobis, salvi erimus. Conserva Domine omnes fideles Tuos in hoc extremo & tremendo perditionis periculo: confirma hos, qui nunc in illo sunt, & erunt ad finem mundi. Illis verô, qui versantur nunc, vel in posterum versabuntur in occasione patiendi propter Nomen Tuum Sanctum, ad confitendum gloriam ejus, vel quocunq; tentationum discrimine exagitabuntur, tribue, ut constanter in gratia Tua & amore permaneant. Aperiatur illis, & nobis COR JESU ad dandas uberrimas gratias, ut per victoriam ejus vincamus omnes inimicos salutis nostræ.

Sed libera nos à malo.

Ad extremum DEUS infinite, libera nos à maximo malo, quod est peccatum; per hoc enim in totam æternitatem à Te separamur. Per COR igitur JESU, Filij Tui

Agni

Agni sine macula, quit venit tollere peccata mundi; quæ nos detestamur cum omnimoda abominatione & odio, quantum ex nobis est; per hoc inquam COR, Altissime DEUS rogo Te, imple corda nostra sensibus CORDIS JESU adversùs peccata. Execramur Pater optime, non tantùm mortale peccatum, separans nos à Te Summo Bono, sed etiam omnem venialem iniquitatem, & minimam quamvis imperfectionem, quæ Tibi displicet, & nos in Tuo Sancto amore tepidos facit. Libera nos etiam DEUS misericordiarum ab omni malo, & non timebimus miserias & afflictiones vitæ hujus, imò calcar nobis erunt ad adeundum Te Summum Bonum nostrum, & COR JESU Filij Tui quod Te pro nobis orat vivens & regnans Tecum in unitate Spiritûs Sancti per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Oratio ad impetrandam bonam in corde contrito mortem.

DOmine JESU CHRISTE, Redemptor meus misericordissime, per illud instās Mortis Tuæ, in quo Sanctissimum COR

Tuum doloribus oppressum extinctum fuit, propitius mihi esse digneris & omnibus in instanti eodē suo moriētibus; Mors Tua fiat vita nostra, in qua Te in æternū laudemus cum omnibus Sanctis Tuis bone JESU, qui venisti in mundum perditos quærere; noli inventos & redemptos damnare. Bone JESU, dic mihi in hora mortis meæ; dic omnibus nunc agonizantibus: Salus tua ego sum, noli timere. Amen.

Feria Sexta & quarta.

Corona Sanctissimi CORDIS dulcissimi IESV.

Ex 33. minoribus, & quinq; majoribus Granis concinnata, in Honorem 33um. Annorum Vitæ illius Benedictæ ac Sanctissimorum Vulnerum Ejus.

Quam hunc in modum persolves.

1mò. Ad Crucem, dices Canticum Magnificat in honorem 1mi motûs Divinissimi CORDIS JESV in Utero Intemeratæ Matris Virginis, simul cum profunda adoratione benedices CORDI tam Sanctissimæ Virginis, quàm Dul.

Dulcissimi JESU, *uniendo laudem & honorem præsentem, cum illa glorificatione & veneratione, quas binum hoc Sacrosanctum* COR *dedicabat Augustissimæ* TRINITATI *novem Mensium intervallo, quibus Beatissima Virgo Verbum Incarnatum portabat in Venerabilissimo Utero suo.*

In quinq; majoribus granis orabis Pater noster & in adorationem ac dignificationem S. Vulnerum CHRISTI *& in unionem precum nostrarum cum* CORDE *ejus suavissimo. à quo nobis hæc Oratio promanavit, offerendo eadem Sacrosancta Vulnera Patri æterno pro cunctis Ecclesiæ Sanctæ necessitatibus, ad impetrandam veniam delictorum, ac beatum exitum, & pro animabus, quæ purgantibus flammis torrentur. Post singulas verò Orationes Dominicas, subjunges versum sequentem:* Vulnera Tua Dulcissime JESU, sint remedium peccatricis animæ meæ, & incentivum Divini Amoris Tui, quæ ego debito adorationis homagio veneror ex intimo cordis mei. Amen.

In 33bus granis minoribus decurres hanc thesseram: O vere Adorator, & unice DEI Amator, miserere nobis. *Conjungendo hanc Orationem, laudem & adorationem cum illa,*

quâ Divinissimum Cor Jesu *prosequebatur Sacratissimam* Triadem *spatio triginta trium annorum mortalis vitæ suæ, ac cum illis, quibus eandem glorificat in Cælo per infinitam æternitatem, & in terris in* Sacramento *Altaris usq; ad consumationem sæculi. In fine ultimæ Decadis & Orationis Dominicæ recitabis Symbolum* Credo in Deum Patrem, *& addita Oratione sequenti.*

Anima Christi sanctifica me,
Cor Jesu accende me,
Sangvis Christi inebria me,
Aqua Lateris Christi lava me,
Passio Christi conforta me,
O bone Jesu exaudi me.
Intra Vulnera Tua, & in Corde Tuo Sanctissimo absconde me.
Ne permittas me separari à Te,
Ab hoste animæ meæ defende me,
In hora mortis voca me,
Et jube me venire ad Te,
Ut cum Sanctis Tuis laudem Dulcissimum Cor Tuum in sæcula, Amen.

Oratio quotidiana S. Gertrudis *ad Mellifluum* COR IESV.

SAluto Te ô Cor Jesu, Fons vivus & vivifi-

vificans in vitam æternam, Thesaurus inæstimabilis Divinitatis, Flos vernans pretiosissimæ Humanitatis, Tu es Summa & unica Salus mea, ô Amabilissimum Cor Jesu, infunde, & conserva in medio animæ meæ effectus Tuæ Divinæ dilectionis, quâ tantopere ardebat pectus Tuum erga nos peccatores, transfigat me obsecro totum Charitas Tua, omnes affectus cordis & corporis mei solum Tuum spirent amorem, nunc & per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Pro Feria Sexta Quinta:

Petitiones ad Dolorosissimum COR Domini IESV.

O Sanctissimum Cor Jesu mei per compassionem Tuam super illos, qui Te non noverunt, miserere nobis, & impertire universis cognitionem infinitæ bonitatis Tuæ Cor Jesu, per dolorem Tuum super non credentes Te miserere nobis, illustra lumine Fidei infideles, credentibus Fidei, Virtutumq; illis congruentium præbe augmentum.

Cor

Cor Jesu, per compaſſionem Tuam ſuper eos, qui lethali noxâ ſunt contaminati, miſerere nobis, & largire reſipiſcentiam offendentibus Te, nos verò à minutiſſimis etiam culpis præſerva.

Cor Jesu, per dolorem Tuum ſuper ingratitudine hominum, & ſuper eis, qui deficiunt à Te, miſerere nobis, & affectuoſiſſimâ Tui Charitate perfunde corda noſtra.

Cor Jesu, per compaſſionem Tuam ſuper tepidos Tui Amatores, miſerere nobis, omnesq; nos ad puriſſimũ Tui Amorem pertrahere digneris.

Cor Jesu, per dolorem Tuum in puncto Conceptionis & Nativitatis Tuæ, confer nobis æſtimationem Tuæ pretioſæ Redemptionis, quia cum eſſes Unigenitus DEI Filius, è Cælo in terram deſcendiſti, ut nos captivos à vetuſto peccati jugo exſolveres.

Cor Jesu, per dolores Tuos toto vitæ ac amariſſimæ Paſſionis Tuæ tempore, præſertim cùm intuereris plurimis hominum, ob ſuas iniquitates & cæcitatem, Tuam doloroſiſſimam Paſſionem fore infructuoſam, cùm ob exceſſum ſcelerum

ſuo-

ſuorúm æternam ſibi theſaurizaverint damnationem, miſerere nobis, nec permittas nos in hoc infortunium unquam devolvi.

Cor Jesu, per compaſſionem Tuam, ſuper puſillo grege Electorum, miſerere nobis, & fac eorum numero in die Judicij aſſociari.

Cor Jesu, per compaſſionem Tuam, ſuper perſequentes, & blaſphemantes Nomen Tuum, miſerere nobis, & fac ut corda noſtra tot Tibi laudes & adorationes immolent, quot Tibi ab ingratis adverſus infinitam Bonitatem Tuam deſpectus irrogantur.

Cor Jesu, per dolorem Cordis Tui ſuper contumelijs Sanctiſſimæ Genitricis Tuæ, Sanctorumq; Famulorum, Famularumq; Tuarum, miſerere nobis, & præſta gratiam vivendi & moriendi ſub præſidio ac tutela ejuſdem, Sacroſanctæ Matris Sāctorumq; Tuorum, inſiſtendo veſtigijs vitæ illorum, eiſq; debitum præbendo cultum, ut in futuro unâ cum illis laudemus Nomen Tuum in perpetuum.

Cor Jesu, per compaſſionem Tuam, ſuper negligentes gratiam & gloriam Tuam,

am, animarumq; suarum salutem, miserere nobis, illumina cæcitatem & emolli duritiem eorum, nobis autem omnibus præsta recognitionem vilitatis nostræ, cùm sine Te, & munimine gratiæ Tuæ nihil possimus.

Cor Jesu, per dolorem Tuum super sacrilegas multorum Confessiones, miserere nostri, concede gratiam sinceræ ac humillimæ recognitionis peccatorum, in Pœnitentiæ Sacramento, cum vera contritione & execratione eorum, & cum firmissimo proposito ampliùs nunquam offendendi Te Deum infinito amore dignissimũ.

Cor Jesu, per compassionem Tuam super Sacerdotes indignè sacrificantes, miserere nobis, & fac nos ad dignam Tui in Sanctissimo Altaris Sacramento perceptionem, quàm pijssimè & congruentissimè disponi, præsertim in hora obitus Nostri refocilla animam meam Cælesti hoc Viatico, iter æternitatis securus decurram.

Cor Jesu, per dolorem Tuum super Idololatras Magos, & Sagas Hæreticos & malos Catholicos, miserere nobis, tribuens omnibus sinceram ad Te conversionem, cognitionem bonitatis & charitatis

Tuæ

Tuæ, & abominationem omnis erroris ac incredulitatis.

Cor Jesu, per dolorem Tuum super omne illud, quidquid Tibi in nobis peccatoribus displicet, miserere nobis, & infunde gratiam, ut præeligamus mori, quàm unquam aliquid Majestati Tuæ displicens perpetrare, cui humillimam laudem, cultum, & adorationem defero in perpetuum. Amen.

Oratio ad Sanctißimum COR IESV.

IN Manus inextingvibilis clementiæ Tuæ misericordissime Jesu, in hora obitus mei, me & omnes nunc de hoc mundo migrantes commendo, & ob illam amaritudinem, ac dolorem Dulcissimi Cordis Tui, quibus in Cruce oppressum fuit, præsertim illo momento, dùm Sanctissimam Animam Tuam in Manus Patris commendares, miserere omnium nunc agonizantium, recognosce tunc Deus meus, quod Tuum est, quidquid verò corruptibilitas & fragilitas mea induxit, miseratus absterge, pro quo ad propria mea merita, & usq; ad sangvinem amore Tui fundendū,

&

& benignitatem Benignissimi Cordis Tui contritâ ac supplici mente appello, Amen.

Feriæ Sextæ Quadragesimales, specialiter verò Mensis Martij in Honorem Cordis Jesv, pijssimè sunt transigendæ, recitando easdem Precationes, secundùm suæ devotionis intensionem.

Pro Feria Sexta Majoris Hebdomadæ.

Triginta tres adorationes CORDIS IESV ad Honorem totidem annorum Vitæ ejus, & in recompensationem contemptuum ac inhonorationum, quas subijt specialiter Paßionis & Mortis suæ tempore.

Ante Inchoationem.

Dignum est Divinissimum COR JESU accipere gloriam, honorem & virtutum benedictionem, & adorationem, ab omni creatura, Cælestium, terrestrium, & infernorum.

℣. Adoro Te Cor Jesu Dulcissimum, & benedico Tibi,

℟. Quia per Crucem, Passionem, & angusti-

guſtias in morte Tuas, redemiſti mundũ.

DEUS Omnipotens, qui Unigenitum Tuum mortem ignominioſam Crucis ſubire feciſti, ut nos à poteſtate inimicorum noſtrorum, & à morte æterna redimeret, concede propitius, ut qui Paſſionis ejus memoriam, & Sacroſancti CORDIS ſui anguſtias devoto affectu recolimus, reſurrectionis participes fieri mereamur. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

1ma *Adoratio.*

Adoro Te COR Salvatoris mei, de Sacroſancto Sangvine in Utero Virginis MARIÆ conceptum, & cum Verbo æterno indiviſibiliter unitum, miſerere mei, ſicut ſcis, vis, & potes, & voluntatem meam beneplacito Tuo Divino coadunare digneris.

II.

Adoro Te COR Salvatoris mei, Tabernaculum Auguſtiſſimæ TRINITATIS, & Sacrarium Deitatis, à quo procul eſt omnis macula peccati, aut fomitis: largire mihi gratiam caſtè ac ſanctè vivendi in conſpectu Tuo, omnibus diebus vitæ meæ.

III.

III.

Adoro Te COR Salvatoris mei, Thronus Amoris, & solium Misericordiæ DEI, cujus gratiâ per lavacrum regenerationis de potestate Sathanæ emancipatus, in Filium Ecclesiæ adoptatus sum, pro qua sis benedictum in æternum.

IV.

Adoro Te COR Redemptoris mei, Rex ac Domine cordium nostrorum, Te debito cultu adoro, obsecrans, ut amplifices Regnum Tuum in anima mea, utq; Intellectus, memoria, & voluntas mea, plenè Tibi subjecta maneant in perpetuum.

V.

Adoro Te COR Redemptoris mei, Fons aquæ vivæ salientis in vitam æternam, ablue quæso pretiosissimo cruore Tuo maculas peccatricis animæ meæ in balneo SACRAMENTI Pænitentiæ, & miserans mei, ampliùs lava me ab iniquitatibus meis.

VI.

Adoro Te COR Redemptoris mei, Inexhauribile gratiarum ærarium, præsento supplex miseriam & inopiam peccatricis animæ meæ postulans opem & aadjutorium, præsertim in hac necessitate animæ meæ NN.

VII.

VII.

Adoro Te COR Salvatoris mei, Hostia viva, Sancta ac DEO benè placens, Te deprecor pro omnibus opprobrijs, contemptibus, & illusionibus, quascunq; tolerâsti ab erabiatis & obstinatis Judæis, ab infidelibus, Schismaticis, ac pravis Orthodoxis, sub tempus acerbissimæ Passionis Tuæ, ut & pro his, quas sub tegumento Eucharisticarum Specierum, invisibilis DEUS sustines & toleras.

VIII.

Adoro Te COR Salvatoris mei, Pax & Hostia placabilis pro vivis & defunctis, pone obsecro in hora exitûs mei Passionem, Mortem & merita Tua inter Judicium Tuum & animam meam, & propitiare omnibus nunc agonizantibus.

IX.

Adoro Te COR Redemptoris mei, Clibanus ardentissimæ Charitatis, transforma quæso tepidum cor meum in ignitissimam Tui dilectionem, ut me nulla creatura, nec sæculi vanitas, aut adversitas à Tuo Sancto amore avellere valeant.

X.

Adoro Te COR Redemptoris mei, Cly-

peus fortiſſime, & ſcutum inexpugnabile dignare peto, occurrere hoſtibus meis, & defendere me à furore eorum, qui velut rugientes Leones circumdant animam meam, ut devorent eam.

XI.

Adoro Te COR Redemptoris mei, Sol Juſtitiæ, radijs Bonitatis Tuæ nos illuminans, Illuſtra quæſo cæcitatem, & déſas tenebras mentis meæ, quæ vanitatibus & cõſolationibus ſæculi irretita, Tui ô Amor Unice cordium perſæpè obliviſcitur.

XII.

Adoro Te COR Salvatoris mei, Origo contritionis cordium noſtrorum, reſpice quæſo oculo Tuæ pietatis obſtinatum in peccatis cor meum, ſicut reſpexiſti ſub Paſſione Tua Petrum Te negantem, ut illius lachrymis defleam peccata mea, & pro illis congruè ſatiſaciam.

XIII.

Adoro Te COR Salvatoris mei, Abyſſus Bonitatis & Miſerationum, in die illa tremenda dùm veneris judicare ſæculum per ignem, nè me quotidie deerrantem & impænitentem reprobari ſinas in æternum.

XIV.

XIV.

Adoro Te COR Salvatoris mei, Thesaurus inæstimabilis, à sæculo vilipensus, neglectus & rejectus, abjicio & aspernor ego mundi divitias, in Te unicum cordis mei objectum affectum meum transfero, in Te cor & desideria mea immergo, nihil cupiens eorum, quæ sunt mundi, DEUS cordis mei, & pars mea DEUS in æternum.

XV.

Adoro Te COR Redemptoris mei, Præsidium meum tutissimum, Fortuna desideratissima, & unica felicitas mea in tempore & æternitate, adjuva me obsecro contra fugientem ad Te in necessitatibus meis, infortunijs oppresso & undiq; derelicto festinus opitulare, nec sinas, ut supergaudeant mihi inimici mei, quibus ex motivo amoris Tui cordintimè dimitto omnes offensiones meas.

XVI.

Adoro Te COR Redemptoris mei, Liber septem Sigillis obsignate, in quo Nomina Electorum Tuorum, & ad æternam beatitudinem prædestinatorum, Sangvine Tuo pretiosissimo descripsisti, etiam nomen meum quæso adnota, & da portionem.

nem Sanctorum Tuorum, ut in consortio illorum valeam associare Nomen Sanctum Tuum in æternum.

XVII.

Adoro Te COR Redemptoris mei, Fons Bonitatis indeficiens, quem dùm tota Jerosolyma in Tui spiravit perniciem aperuisti, adinveniens modum manendi nobiscum usq; ad consumationem sæculi, in Sanctissimo Altarjs SACRAMENTO, præserva me à sacrilega Communione.

XVIII.

Adoro Te COR Salvatoris mei, in horto Oliveti, mærore confectum. Ego fui tristitiæ Tuæ causa mi Domine, aspexisti à longè futuram ingratitudinem meam, vidisti, quàm multæ hominum Myriades, pro quibus Te ad mortem ultrò obtuleras, ob suam ingratitudinem & cæcitatem perituræ erant; esto propitius mihi peccatori, in supremo instanti mortis meæ, dùm undiq; contabescens squallore anima mea, ultimum carni vale dictura est.

XIX.

Adoro Te COR Salvatoris mei sangvineo sudore in agonia ob peccata mea enervatum, infirmitas Tua confortet, obsecro

lan-

langvorem fatiſcentis cordis mei, in ultima agoniæ meæ periodo, & concede gratiam, ut ultimum ſuſpirium meum, ſit quàm excellentiſſimus actus Amoris Tui.

XX.

Adoro Te COR Salvatoris mei, tempore comprehenſionis & apparitionis Tuæ in conſpectu Tribunalium, illuſionibus & opprobrijs ſaturatum, tot Tibi Domine mi concupiſco immolare laudes, honores & adorationes, quot à quopiam tibimet hodie, & toto Sanctiſſimæ Vitæ Tuæ decurſu irrogati ſunt deſpectus & contumeliæ. Sis benedictus Tu & Nomen Sanctum Tuum, præſerva me à ſimili inhonoratione Majeſtatis Tuæ.

XXI.

Adoro Te COR Salvatoris mei, in Paſſione & Morte ob ſcelera mea attritum & ſauciatum, ex cujus clementia pendet & tota ſalus noſtra, & beatitudo æterna, nè proijcias quæſo me peccatorem, à gratia Tua, ſed auxiliari digneris, ut currendo per viam Mandatorum Tuorum de pretioſiſſimo valore Redemptionis meæ, fructum colligam, & æternam poſſideam vitam.

 XXII.

XXII.

Adoro Te COR Redemptoris mei, usq; ad Mortem obediens, & inobedientiæ Protoparentum nostrorũ debitum exsolvens, fac me sectatorem obedientiæ Tuæ, & largire gratiam, abnegandi voluntatem meam, eamq; Tuæ Sanctissimæ, ac Superiorum meorum voluntati subijciendi.

XXIII.

Adoro Te COR Redemptoris mei, importabilium dolorum, & angustiarũ acerbitate repletum, & in agonia refocillationis locò, felle & aceto potatum, imprimè quæso profundissimè cordi meo, has Tuas amaritudines, nè unquam addam afflictionem afflicto per peccata.

XXIV.

Adoro Te COR Redemptoris mei, lanceâ in Cruce transfixum, per quod clementiæ Tuæ Ostia patefacta sunt nobis peccantibus, ruo in Tui amplexum svavissimum COR JESU mei, cum Davide pænitente confiteor adversum me injustitias meas, flagitans clementiam & veniam, nè respuas me à gratia Tua, qui Latroni tecum in Cruce pendenti Paradisum promisisti.

XXV.

Adoro Te COR Salvatoris mei, causâ mei, ad ultimam sangvinis guttam exhaustum, irrora quæso Redemptor meus, vel unicam stillam cruoris hujus ad eluendam deformem peccatis animã meam, ô amor DEI mei incomprehensibilis! Tradidisti Filium Tuum in mortem, ut ego mancipium Tuum ab æterna morte exsolverer sis proindè benedictus in æternum.

XXVI.

Adoro Te COR Salvatoris mei, plenum Charitate & Bonitate, quòd in diro agone Crucis & derelictione Tua non vindictam, at misericordiam Tuis crucifixoribus deprecabaris, ignorantiâ peccatum eorum extenuando. Obsecro Te humilitèr, pro cunctis infidelibus, pro obstinatis Judæis, pro induratis & pervicacibus peccatoribus, pro ingratis ac pravis Orthodoxis, pro tepidis atq; negligentibus Religiosis, pro universo statu sæculari, & spirituali; pro Benefactoribus vivis ac defunctis, & pro eis qui me oderunt famæq; aut fortunæ meæ insidiantur, largire nobis veram in Te conversionem, animabus verò Purgatorij refrigerium, & lucem perpetuam.

XXVII.

Adoro Te COR Salvatoris mei, unicum refugium & ultima spes morientium, extremo Tui Misericordissime JESU in Cruce agonis articulo, cōmendo instans mortis meæ, animamq́; meam è corpore migrantem depono tunc in sinu infinitæ benignitatis Tuæ, suscipe quæso eam in vitam æternam.

XXVIII.

Adoro Te COR Redemptoris mei, terror dæmonum, quos Passione & Morte Tuâ superâsti, impertire quæso, ut cum auxilio Gratiæ Tuæ, strenuè certare valeam, cum mundo, carne, & diabolo, Capitalibus hostibus meis, nè permittas eos supergloriari mihi, & dicere: Prævalui adversus eum.

XXIX.

Adoro Te COR Redemptoris mei, desiderium collium æternorum, ex quo Angeli, Sanctiq́; in Cælo regnantes, ineffabiles cordium suorum delibant voluptates, & incessanter Tibi laudis Canticum Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS Sabaoth modulantur, suscipe quæso hanc illorum adorationem, in locum desidiæ

meæ,

meæ, & tepidi servitij vicem, ac propitiare animæ meæ.

XXX.

Adoro Te COR Redemptoris mei, Principium, Finis & Meta cordium nostrorum, infunde nobis veram cognitionem Tui, qui nos creâsti propter Te, nec cor nostrum tranqvillari potest, nisi conquiescat in Te, abstrahe quoq; me, ab inordinato, sæculi, diaboli, & carnis amore.

XXXI.

Adoro Te COR Salvatoris mei, Largitoris vitæ, à quo omnes anni, dies, & momenta vitæ nostræ sunt signata & commensurata, impertire clementer gratiam, ut memor incolatus mei, in hoc exilio sæculi tota mente, corde, & pectore, ad æternam Patriam aspirem.

XXXII.

Adoro Te COR Salvatoris mei, Gaudium & voluptas Beatorum, ô quando veniam, & apparebo in conspectu Tuo! quàm dilecta Tabernacula Tua Domine Virtutum? concupiscit & deficit in Te anima mea. Nè segreges me à sorte hæreditati Tuæ, quæ es ipse, ut de visione, ac fruitione speciosissimi Vultus Tui æternaliter valeam oblectari.

XXXIII.

Adoro Te COR Salvatoris mei, Corona & Beatitudo Sanctorum Omnium, quibus pro suis laboribus, ærumnis, ac inopia, centuplum rependisti, benedic quæso cuncta momenta vitæ meæ, ut in vocatione mea fideliter perseverans; Tuisq; inhærens Mandatis salutem æternam consequi merear, Teq; benignissimum COR JESU mei unâ cum Electis Tuis æternaliter amem, adorem & glorificem, Amen.

Oremus.

ROgo Te Domine JESU CHRISTE per dulcissimum COR Tuum & salutifera Vulnera, quæ pro nobis peccatoribus in Cruce perferre dignatus es, vulnera animam meam igneo & potentissimo amoris Tui Jaculo, transfige cor meum lanceâ dilectionis Tuæ, ut Te super omnia totâ efficaciâ pectoris mei diligam, & Tibi serviam in sæcula sæculorum.

A M E N.

FERIÆ SEXTÆ
SEU
Dies Veneris Sacræ Quadragesimæ & præsertim Mensis Martij in Venerationem CORDIS IESU.

In quibus eædem Orationes dici possunt, pro ultimo autem die Veneris in supra posita.

Feria Sexta Martij.

SAluto Te, adoro Te, laudo ex toto corde meo diligo COR Sanctissimum & Misericordissimum, gratiâ Omnipotentiæ Patris & Sapientiæ Verbi Æterni repletum, Tu super omnia corda benedictum, Tu propter amorem nostrum vulneratum, & mortuum; Tu debes à nobis super omnia corda amari: miserere nostri nunc & in sæcula sæculorum.

Ave COR alte saucium
Mucrone diro lanceæ;
Transfige mentis intima;
Tuoq; amore concrema.

ORE-

O R E M U S.

SIt benedictum, & superexaltatum ab omni creatura COR DEI, Salvatoris mei, ob nimiam erga nos charitatem crudeliter lanceâ transfixum, da erranti animæ meæ, ad Te liberum accessum & securum habitaculum, ut in Te unico beatitudinis nostræ Centro semper inhabitet, & Tuam Sanctissimam Voluntatem in omnibus adimpleat. Amen.

ORATIO Ima.

Pro bona morte sibi, & nunc agonizantibus.

MIsericordissime Domine JESU Redemptor meus, Fili DEI vivi, in unione illius amoris, in quo Sanctissimam Animã Tuam amaritudinibus Passionis absorptam, Patri Tuo æterno moriendo commendasti. Commendo & ego animam meam ultimâ horâ mortis meæ, commendo omnes nunc & in agonia, extrema positos, pijssimo CORDI Tuo, rogans Te per hoc Clementissimum COR, ut tunc mihi & omnibus nunc misereri digneris. Non intres in judicium nobiscum, sed se-

cundùm bonitatem infinitam ejusdem CORDIS Tui, condonatis omnibus iniquitatibus nobis contritis, ab omni pœna nos præcipuè perditionis æternæ absolvere, & ad fruitionem Divinissimæ Faciei Tuæ ad laudandum, amandum hoc dignissimum COR Tuum deducere digneris. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum, Am̃.

ORATIO 2da.

Clementissime JESU Salvator meus, quotidie accedens ad ultimum vitæ momentum, perpendens verò multitudinem iniquitatum mearum, tremenda Tua vereor Judicia. Quomodo enim in conspectu apparebo Tuo, portans onus impietatum mearum. Perijt, peritq; husq; vita mea in vanitatibus & peccatis, nihil dignum agendo, quòd Divinis Tuis posset placere oculis. Væ mihi! si accusatus, Justitiæ Tuæ tradar, nullum habens sceleribus meis Patronum.

Ad Te igitur ipsum bone JESU confugio ad Te de profundo cordis mei suspiro; Tu responde pro me, Tu solus impetra veniam, ut vivat anima mea ex gra-

tia

tia Tua, Te solum Patronum judicio meo, Te Tutorem salutis meæ assumo: Tu Judex & Mediator esto qui Salvator & Redemptor diceris meus. Recordare quid feceris propter me, & quàm inæstimabili pretio redemeris me Tibi, ut sim in perpetuum Tuus; Tu propter me vixisti, nè egò perirem. Tu portabas peccata mea, nè pondere illorum gravatus in profundum ruerem inferni; Tu mortuus es, nè ego morerer in æternum, Tu insuper omnem amorem Clementissimi Cordis Tui impendisti propter me, nè mihi propter illum misericordiam Tuam in finem negares.

Per hanc igitur omnem bonitatem Sanctissimi Cordis Tui rogo Te indignus, non intres in immite Judicium Tuum in hora mortis meæ, Amor illius sit protectio iniquitatum mearum, & omnium ingratitudinum recompensatio, ut quidquid mihi defuerit, tunc habere possim ex aperto vulnere ipsius, quod se in Cruce plenè in bonitate sua mihi donavit,

AMEN.

ORATIO 3tia.

O JESU Salvator meus! ô JESU Redemptor meus! ô JESU Supremum & Primum Bonum! amo Te, & toto corde amare cupio super omnia, quia Tu solus infinita dignissimus dilectione.

O JESUS amor meus, dulcedo mea, solatium meum, ad Te suspiro, ad Te toto corde clamo, miserere mei; per amorem Tuum peto, in hora mortis meæ & in hora omnibus agonizantibus, non deseras nos, nec abijcias in æternum. Si Tu nos dereliqueris, omninò derelicti erimus; si nos abjeceris, totaliter abjecti erimus; quis enim nos suscipiet? si Tu projeceris à Te; quis gratiam præstabit? si Tu negaveris illam. Sed scio quod neq; in Cælo neq; in terra, quisquam Clementior est Te DEUS meus, ideò ad Te toto corde confugio, omnem spem salutis meæ in Te repono. Nunc dùm tempus miserendi, imploro misericordiam, nè illam mihi tempore vindictæ deneges; nunc dùm Clementissimus es, Clementiam invoco, ut secundùm illam digneris mecum in mortis hora agere, & afflictæ undiquè animæ dicere: *Salus tua Ego sum, & pro-*

pter

pter Nomen meum protegam te. Extende DEUS meus apertas Manus Tuas ad adjuvandum me, extende ad defendendum ab inimicis quærentibus animam, ut devorent illam. Propter COR Tuum Sanctissimum largire perfectam compunctionem cordi meo in quo ego vivere cupio, & ut in illo moriar, per omnem bonitatem ejus, Tibi DEO meo toto indigno corde meo supplico. Amen.

TESTAMENTVM
Hominis Christiani ante cubitum quotidie faciendum.

In Nomine Domini, Amen.

EGo NN. DEO dono animam meam, corpus terræ, putredini & vermibus.

Lubentissimo animo exuo me bonîs temporalibûs, quæ *vanitas* sunt *vanitatum*.

Doleo ex toto corde, & detestor peccata mea ob purum & sincerum DEI amorem.

Condono inimicis omnibus ex corde, & ex animo.

Credo in DEUM unum in essentia, & Tri-

Trinum in Personis, PATREM, FILIUM, & SPIRITUM Sanctum, Creatorem, Conservatorem, Redemptorem, & Remuneratorem, in potentia, bonitate, & sapientia infinitum. Adhæreo deniq; firmissimè omnibus, quæ Ecclesia Romana credenda proponit.

Spero de DEI bonitate, & de misericordia Dulcissimi CORDIS JESU peccatorum meorum remissionem, & vitam æternam.

Amo DEUM meum ex toto corde meo, & ex tota anima mea, & ex omnibus viribus.

Committo me sincerè, omnimodè, & absolutè beneplacito Sanctissimæ & semper adorandæ DEI Voluntati; paratus ad agendum, & patiendum, ad bonam, & afflictam valetudinem, ad vitam, & mortem prout voluerit. Fiat Sanctissima Ejus Voluntas. Amen. Amen.

Commendo animam meam & totum me patrocinio Beatissimæ Virginis MARIÆ Matris meæ optimæ & advocatæ, Sancto JOSEPHO, S. FRANCISCO SALESIO, S. BARBARæ Virgini & Martyri, S. ANGELO Tutelari, & omnibus Sanctis: quos oro

ſuppliciter, ut me juvent in hora mortis.

Opto illa ultima mea ſint verba, quæ pronuntiata volo humillimo cordis affectu JESUS, MARIA: unicè deſiderans in ejus ulnis emittere ſpiritum meum.

Quod ſi lingva hæc Sancta Nomina pronuntiare nequeat, corde facio; ex animo, ex animo.

Si animus non poſſit præpedito rationis uſu, dico nunc, pro tunc omni affectu, & humilitate poſſibili JESUS, MARIA, JOSEPH.

In Manus Tuas Domine commendo ſpiritum meum.

Morieris tu & non vives.

Subter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.

Stulte, hac nocte repetent animam tuam à te, & quæ paraſti cujus erunt.

BONA NOX

Commendatio ad COR IESV.

O COR JESU dulciſſimmum Tibi commendo hac nocte cor & corpus meum, ut in Te dulciter requieſcant; & quo-

niam

niam ego jam obdormiturus, DEUM laudare nequeo, tu illud pro me supplere digneris! ita ut quot pulsus cor meum hac nocte dederit, tot laudes Sanctissimæ Trinitati pro me persolvas; omnemquè halitum quem spiravero, in Te susceptum ejdem tanquam vivas amoris scintillas offerre velis, Amen.

O Unica Salus mea Christe JESU, da ut per saluberrimam Mortem Tuam deleantur omnia delicta mea, Amen.

Ad Beatam Virginem, &c.

IN Tuam maternam fidelitatem ac singularem custodiam commendo me hac nocte, ô Beatissima Virgo MARIA, rogans Te, ut me ab insidijs inimici tueaaris. O dilectissime Agele Custos, ô Vos Sancti Patroni mei hac nocte defendite & incolumem servate me, & pro me dormiente incessanter DEUM laudate: mihiq; Vestram Benedictionem humiliter peto, conferre dignemini. Amen.

PRECATIONES

In Festis Congregationi huic adjunctis, in quibus licet supra positi Actus dici possunt tamen singulares apponuntur etiam omni tempore recitandi.

In Festo Ascensionis Domini Nostri IESV CHRISTI.

DOmine JESU, Pastor optime, qui ad quærendam perditam ovem de Cælis in terram descendisti factus homo: in redemptionem illius de faucibus infernalium bestiarum, vitam & sangvinem pretiosum liberalissimè expendisti. Ascendisti Triumphator ad dexteram Patris Tui æterni; quis mihi det? ut Tui Sacratissimi CORDIS nunc, penetrem gaudia, & ardentissimos ignes, quibus repletum est ob inventam salutem animarum Nostrarum, quas ad cælestia intulisti Tecum tabernacula.

Ago igitur Tibi gratias quam humillimas, ad dexteram Patris sedenti pro ineffabili hac Sm̄i CORDIS Tui bonitate, quæ su-

ſcipiens cauſam animæ meæ, effecit in Te, ut portaviſſes onus iniquitatum mearum uſq; ad mortem Crucis.

Ago gratias omnibus Sanctiſſimis Corporis Tui membris, in Paſſione vulneratis, nunc in Cælo glorificatis, hic in iſto Sacramento Amoris reali præſentia contentis, pro copioſa mei omniumq; hominum redemptione.

Et imprimis gratias ago Diviniſſimo Cordi Tuo propter me afflicto, & in abyſſum dolorum projecto, ut mihi cæleſtium gaudiorum delicias meruiſſet.

Gratias vobis ago Oculi, ſupra omnia amæniſſimi & miſericordiſſimi, qui tot lachrymas effudiſtis, & ignem Divinæ Iræ extinxiſtis, qui me conſumpturus erat peccatorem.

Gratias ago Tibi Sacratiſſimum Os, quod fel amarum cum aceto admiſiſti, pro exquiſitis meis in cibo & potu luxibus.

Gratias ago Tibi Caput Diviniſſimum, quod tot ſpinis & aculeis Te confodi & vulnerari permiſiſti, ut his omnem ſuperbiam meam & tumorem ſanaviſſes.

Gratias ago vobis beneficentiſſimæ Manus, & Pedes pleni bonitate, qui clavos

 ſuſce-

ſuſcepiſtis, ut reſtauratum fuiſſet per vos, quod in me, & per me malo opere commiſſo deſtructum fuit, vel bono neglecto viciatum.

Ad extremum: gratias Tibi ago totum Diviniſſimum Corpus, Sanctum & Innocens, quod verberibus & reliquis cruciatibus ſauciari voluiſti, ut pro meis impuris voluptatibus, debitum contractum Divinæ Juſtitiæ exolviſſes.

Amabiliſſime JESU ſanctifica, quæſo per Sacratiſſima Membra Tua, omnia membra mea, & dele omnes peccatorum maculas, quas membris meis abutendo contraxi.

Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto, Sicut erat in principio & nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum, Amen.

In Feſto Septem Dolorum B. M. V.

O Doloroſiſſima Mater Virgo MARIA, quæ adſtans Cruci Dilectiſſimi Filij Tui JESU Chriſti, Domini noſtri, in Tua Sanctiſſima Anima vulnerata fuiſti, pervadente illam doloris gladio; præcipuè, dùm Diviniſſimum ipſius COR lanceâ transfixum vidiſti, rogo Te fac me ita, hoc

hoc amabilissimũ vulnus mente & affectu recolere, ut pretio sangvinis tunc effusi in ultimis guttis suis, in hora mortis meæ dignus inveniar.

Non dubito, Domina mea Clementissima, tunc Filium Tuum dilectum supremis illis guttis eductis lanceâ, ijsq; ferventissimis amore erga animam meam, me tanquam proprium, quia pretio inæstimabili emptum mancipium, in suo descripsisse Corde, & illi æternum inscripsisse cum omni jure & hæreditate; digneris itaq; me tanquam rem propriam & hæreditariam illius, usq; ad extremum vitæ punctum custodire, ne illi peream.

Recordare Dolorosissima Virgo, quòd sis Mater mea, & ego filius Tuus; quia Te mihi & me Tibi, Filius Tuus in Cruce donavit, animam meam igitur & salutem in Manus Tuas repono, nolis quæso perdere istud, quòd ad Te pertinet: quòd Tibi Filius commendavit.

Non permittas, ut in regione mortis & tenebrarum me Satanas conculcet, glorians, se illum in carcere damnationis tenere vinctum, qui est Filius JESU & MARIÆ. Amen.

In Festo S. IOANNIS Evangelistæ, dilecti CORDIS IESV Discipuli.

Antiphona.

Iste est JOANNES, qui supra pectus JESU in Cæna recubuit; Beatus Apostolus cui revelata sunt secreta cælestia.

℣. Hic est Discipulus,

℟. Quem diligebat JESUS.

Oratio.

PEctoris illius delicias, & Divinissimi CORDIS dulcedinem supra quod svavissimè recubuisti, Sancte JOANNES, ad nos quoq; famulos Tuos feliciter extende, ut abjectis mundi illecebris, in puro Christi amore quiescamus. Amen.

Alia.

DIgnissime Christi Apostole, Dilecte CORDIS JESU Discipule, S. JOANNES, qui singulari dilectionis prærogativâ, decoratus in Divinissimo Salvatoris mei, quiescere Pectore, & ex Fonte CORDIS illius Sanctissimi, omnem dulcedinem, Arcanaq; Cælestia exhaurire meruisti; rogo Te per idem svavissimum COR, amorem

ejus

ejus inextingvibilem impetrare mihi digneris, & omnes amaritudines, torquentes cor meum dulcedine ipsius aspergere, Cælestiq; consolatione replere. Visitet quæso corda nostra Sanctissimi CORDIS JESU gratia, det nobis spiritum bonum, quo dignè nos emendare illiusq; amori, amore nostro respondere valeamus, sit mihi, sit omnibus in periculis refugium, in afflictione gaudium, in amaritudine dulcedo, in mortis hora æterna quies & salus, Amen.

In Festo Sancti AUGUSTINI Confessoris & Doctoris Ecclesiæ.

Antiphona.

O Doctor optimè Ecclesiæ Sanctæ Lumen Beate AUGUSTINE Divinæ Legis amator, deprecare pro nobis Filium DEI.

℣. Laudemus Dominum qui de tenebris gentium,

℟. Lumen Ecclesiæ vocavit AUGUSTINUM.

Oremus.

ADesto supplicationibus nostris Omnipotens

potens DEUS: & quibus fiduciam ſperandæ pietatis indulges, intercedente Beato AUGUSTINO Confeſſore Tuo atq; Pontifice conſvetæ miſericordiæ tribue benignus effectum. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Alia.

COncede quæſumus Omnipotens DEUS Sancti Patris noſtri AUGUSTINI devota commemoratione gaudere, cujus patrocinio ſalvari, Te auxiliante confidimus. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

AMEN.

OFFICIUM
DE SANCTISSIMO CORDE Beatæ Virginis MARIÆ.

AD MATUTINUM.

℣. JESU mentis Amor, MARIA dulce solamen,
℟. Fac è corde pio, laudes manare perennes.
℣. Domine labia mea aperies,
℟. Et os meum annunciabit laudem Tuam.
℣. DEUS in adjutorium meum intende,
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S.
℟. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Am.

HYMNUS.

REgnatrix terræ, nitidiq; Cæli,
Pura Divini Genitrixq; Verbi,
Cælicâ aurorâ magis es pudica
Virgo Parensquè.

Nu-

Numinis natam veneratur Orbis,
Te Diva, Cæli Cynoſura, ſola
Innocens, quæ ducis in aſtra ſontes
Tramite mundo.
Pulchrior fulvo ſtipulam trahente
Succino Mater, rutilans nitore
Solis æterni macula haud eſt in Te
Stella Jacobi.
Sint Tibi laudes, Tibi ſint honores
Cui Parens, Virgo manet atq; pura,
Laudetur mundi ſeriem gubernans
Trinus & Unus.

Antiphona.

O Sanctum MARIÆ COR, nullo inquinatum reatu, emunda corda noſtra ab iniquitatibus, ut Filij Tui JESU digna habitacula effici mereantur.

℣. Tibi dixit cor meum,
℟. Exquiſivit te facies mea.

Oremus.

RESpice propitius ſupplices Te deprecamur Clementiſſime JESU, nos peccatores famulos & famulas Tuas, ut propter amorem Sanctiſſimi CORDIS Genitricis Tuæ Virginis MARIÆ, quod devotè veneramur, debitoq; cultu

proseqvimur in terris, braviam perpetuæ exultationis adipisci mereamur in Gælis. Qui vivis & regnas cum DEO Patre & Spiritu Sancto DEUS in sæcula sæculorum, Amen.

AD LAUDES.

℣. DEUS in adjutorium meum intende,
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S.
℟. Sicut erat in principio, &c.

HYMNUS.

POpliti Sancto famulans scabellum
Me, Tuum servum numerare faxis,
Virgo præcellens Triadis Beatæ
Victima Sancta.
Te JOACHIMI senio virentem,
ANNA prædulcem sobolem salutat,
Te Sacram Matrem veneratur, Infans
Pusio, Verbum.
Innova sensus malè deviantes,
Supplices audi, meliore voto
Erudi mentes, faciens ovantes
Vivere Christo.

Antiphona.

COR MARIÆ admirandæ puritatis
Ima.

Imago, coapta cor meum ad castitatis præ-
rogativâ, ut dignû fiat habitaculû Fili Tui
℣. Dignare me laudare Te Virgo Sacrata
℟. Da mihi virtutem contra hostes Tuo
Oremus.
Respice propitius supplices, &c. *ut supr*
ad Matutinum.

AD PRIMAM.

℣. Deus in adjutorium, &c.
℟. Domine ad adjuvandum, &c.
℣. Gloria Patri & Filio, &c.

HYMNUS.

SIstitur Templo Triadis Supernæ,
Inclytus Cætus Triadis creatæ,
Te Polus cantat, nitidiq; Cæli
Candidus Ordo.
Mater & Virgo sine labe prima,
Victimam cordis tribuens Olympo
Redde, quod nostrum Tibi cor dicamus
Infer & astris.
Saxeum pectus potes edomare,
Præpotens Diva, potes innovare,
Cordium nodus solidus Virago,
Fædera pange.

Antiphona.
O Dulcissimum COR MARIÆ, verum
SPI-

Spiritús S. Triclinium, tange pectus meum, ut se disponat ad suscipiendum in medio sui JESUM Christum Filium Tuum.

℣. Deprecor faciem Tuam in toto corde meo,

℟. Miserere mei, secundùm verbum Tuum.

Oremus.

Respice propitius supplices, &c. *ut suprà.*

AD TERTIAM.

℣. Deus in adjutorium meum, &c.

℟. Domine ad adjuvandum, &c.

℣. Gloria Patri, & Filio, &c.

HYMNUS.

GAudijs quantis viruêre corda,
Mysticum quando capis aure verbum
Quod Tibi pandit Gabriel ab alto,
Fusus Olympo.
Pectus ah nostrum saliat perenni
Gaudio, quando Deus ille, Verbum
Virginis puræ gremium subintrans
Dicitur infans.
Impetu Sacri calefacta Verbi
Virgo, cujus COR DEUS ipse nutrit,
Corda fac soli famulata Christi
Vivere nostra.

Anti.

Antiphona.

O COR Diviniſſimum MARIÆ, ad vocem Angeli nuntiantis humiliatum, comprime ſuperbiam cordis mei.

℣. Factum eſt cor meum,

℟. Tanquam cera liqueſcens.

Oremus.

Reſpice propitius ſupplices, &c. *ut ſupra.*

AD SEXTAM.

℣. Deus in adjutorium meum, &c.

℟. Domine ad adjuvandum, &c.

℣. Gloria Patri & Filio, &c.

HYMNUS.

PEctoris noſtri decus & ſolamen
Tædij duros lapides revelle
Aufer algorem, latebras repelle
Sole refulgens.

Devios calles, agitata verbo
Virgo decurrens, Animam Joannis
Dùm Sacras, noſtros animos perorna
Perfice ſenſus.

Comprimas faſtus animi malignos,
Colla ſubmitti faciens ſuperba
Turbidas, Chriſtum comitante facto,
Inſtrue mentes.

Antiphona.

Flammescens ignito amore COR MARIÆ, mitte scintillam ignis hujus super cor meum, ut hac flammâ succensus, in servitio DEI ampliùs non tepescam.

℣. Inclina cor meum in testimonia Tua,

℟. Et non in mendacium.

Oremus.

RESpice propitius supplices Te deprecamur Clementissime JESU, nos peccatores famulos & famulas Tuas, ut propter amorem Sanctissimi CORDIS Genitricis Tuæ Virginis MARIÆ, quod devotè veneramur, debitoq́; cultu prosequimur in terris, bravium perpetuæ exultationis adipisci mereamur in Cælis. Qui vivis & regnas cum DEO Patre & Spiritu Sancto DEUS in sæcula sæculorum, Amen.

AD NONAM.

℣. DEus in adjutorium meum, &c.

℟. Domine ad adjuvandum, &c.

℣. Gloria Patri & Filio, &c.

HYMNUS.

IAm Polum scandis, numerosa turba,
Cælitum sistit latus ad beatum,

Entheos noſtris animis olympi,
Ingere Mater.
Dona præmitto tenuis Viator,
Victimam portans animi ſequacis,
Quod nequit præſens opus, id rependat
Prompta voluntas.
Virtus incedens ſcelerum patenti
Calle, nunc ſanctæ bonitatis umbram
Sentiat, deduc mihi deſtinatos
Stamen in annos.

Antiphona.

Sacratiſſimum COR MARIÆ zelans & ſitiens ſalutem meam, infunde cordi meo, ardorem & deſiderium Cæleſtium, ut terrenas has faſtidiam voluptates.

℣. Ad Te clamavi ex toto corde meo,
℟. Domina exaudi me.

Oremus.

Reſpice propitius ſupplices, &c. *ut ſupra*

AD VESPERAS.

℣. Deus in adjutorium meum, &c.
℟. Domine ad adjuvandum, &c.
℣. Gloria Patri & Filio, &c.

HYMNUS.

Concidens ſeptem gladijs dolorem
Langvido corpus tenuans amore

Vir-

Virgo, quo luctu gemis atque plangis
Turtur amara.
Attamen plaudunt magè noſtra corda
Porta dum cunctis patuit per almum
COR Tuum Mater, ſcelus & capaci
Gaudet Aſylo.
O liqueſcenti fluat amnis æſtu
Cordis, in luctus glaciale pectus,
Rumpe peccator, ſcelerumq; ſordes
Elue fletu.

Antiphona.

COR Virginis MARIÆ Patris æterni obtemperans voluntati, da, ut dextro animo DEO meo in omnibus ſubjectus, voluntatem ejus ſanctam fideliter perficiam.

℣. *S*ignatum eſt ſuper nos lumen vultûs Tui Domine,

℟. Dediſti lætitiam in corde meo.

Oremus.

Reſpice propitius ſupplices, &c. *vt ſupra.*

AD COMPLETORIVM.

℣. Deus in adjutorium meum intende;
℟. Domine ad adjuvandum me feſtina.
℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S.
℟. Sicut erat in principio & nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum, Amen.

HYMNUS.

PRo lytro vitam Tibi Virgo pendam,
Cùm Tui Pectus teneatur æstu,
Perdo; ni vitam sitiam perennem,
Ducere Tecum.
Heu spei fulcro malè cor domatum,
Pænitens primò, vide sauciatum
Auribus clemens cape, quæ reposco
Candida Mater.
Dona quæ paucis Tibi destinavi
Grandibus solvi, merito carenti
Fronte quâ poscam? pretium volentis
Suscipe mentis.

Antiphona.

COR Sanctum MARIÆ Virginis, gratiâ plenum, refice imbecilitatem cordis mei, nè in via Domini, & in sancto ejus servitio unquam deficiat.

℣. Ego dormio,
℞. Et cor meum vigilat.

Oremus.

REspice propitius supplices Te deprecamur Clementissime JESU, nos peccatores famulos & famulas Tuas, ut propter amorem Sanctissimi CORDIS Genitricis Tuæ Virginis MARIÆ, quod de-

votè

votè veneramur, debitoq; cultu prosequimur in terris, bravium perpetuæ exultationis adipisci mereamur in Cælis. Qui vivis & regnas cum DEO Patre & Spiritu Sancto DEUS in sæcula sæculorum,

A M E N.

LITANIÆ
CORDIS BEATÆ MARIÆ
Virginis Matris IESV.

KYrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.
Christe audi nos, Christe exaudi nos.
Pater de Cælis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus, Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, Miserere nobis.
Cor Mariæ ab origine immaculatum, Ora pro nobis.
Cor Mariæ gratiâ plenum, Ora pro nobis.
Cor Mariæ intra omnia corda benedictum, Ora pro nobis.
Cor Mariæ purissimum, Ora pro nobis.

Cor Mariæ humillimum, Ora pro nobis.
Cor Mariæ amantissimum,
Cor Mariæ Sanctissimæ Trinitatis Sacrarium,
Cor Mariæ in annunciatione Dei incarnati Tabernaculum,
Cor Mariæ in visitatione novis gratijs ornatum,
Cor Mariæ per novem Menses Jesu Christi Domicilium,
Cor Mariæ in nativitate Christi miro gaudio perfusum,
Cor Mariæ in Præsentatione doloris gladio transfixum,
Cor Mariæ ob Christum repertum in Templo mirificè recreatum,
Cor Mariæ cum Christo tristi in horto, tristè effectum,
Cor Mariæ in flagellatione Christi acerbè vexatum,
Cor Mariæ in coronatione Christi, spinis interioribus transfixum,
Cor Mariæ in bajulatione Crucis Christi, gravi pondere oppressum,
Cor Mariæ Christo crucifixo, Cruci confixum,
Cor Mariæ Christo patienti compatiens,

Ora pro nobis. Ora pro nobis. Ora pro nobis.

Cor Mariæ mortuo Chriſto mærore conſepultum,
Cor Mariæ Chriſto reſurgente, gaudio redivivum,
Cor Mariæ in Aſcenſione Chriſti dilatatum,
Cor Mariæ in deſcenſu Spiritûs S. de novo ſanctificatum,
Cor Mariæ in Aſſumptione Tua, ſuper omnes Beatos exaltatum,

Ora pro nobis.

Cor Mariæ ad dexteram Chriſti in Cælis collocatum,
Cor Mariæ conſolatio afflictorum,
Cor Mariæ refugium peccatorum,
Cor Mariæ ſpes agonizantium,

Ora pro nobis.

Agnus DEI qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine,
Agnus DEI qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus DEI qui tollis peccata mundi, Miſerere nobis.

℣. Dignare me laudare Te Virgo Sacrata,
℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oremus.

SAncta MARIA Mater Domini Noſtri JESU Chriſti & mundi Domina, quæ

nullum derelinqvis, & nullum despicis, respice me Domina clementer oculo pietatis, & impetra mihi, apud Tuum dilectum Filium cunctorum veniam peccatorum, ut qui nunc Sancti & Immaculati CORDIS Tui laudes & merita devoto affectu recolo, æternæ in futurum beatitudinis bravium capiam, ipso quem Virgo peperisti, donante Domino Nostro JESU Christo, qui Tecum vivit & regnat cum DEO Patre, &c.

O R A T I O
Ad Sanctissimam MARIAM Virginem Patronam bonæ mortis.

O Clementissima Virgo MARIA, Mater DEI mei, ante sæcula ordinata, ad Te miser recurro, Tuæ clementiæ & protectioni ultimum vitæ meæ commendo momentum. Repleta est iniquitate anima mea, quis illam coram justitia Filij Tui & Judicis mei tuebitur, si petitionibus meis plena dulcedinis & misericordiæ Tua clauseris viscera.

O misericordissima Mater unica post DEUM spes mea, & primum auxilium

meum,

meum, suscipe tunc in Te causam salutis meæ, ut plenè abrenuntiatis malis operibus meis, per veram cordis compunctionem, ac satisfactionem. DEO meo reconciliatus, feliciter ex hoc mortali corpore exire valeam. Recordare tunc omnis gratiæ Mater, harum precum mearum, ut cum mortua lingva ampliùs Te invocare neqviverit, neq; offensam à me bonitatem Creatoris mei deprecari. Tu pro me loquaris, tali enim fiducia in auxilio Tuo animatus sum, ut impossibile putem me à DEO derelinquendum, si Tu pro me steteris & in Tuam susceperis protectionem, COR enim DEI mei in Manibus Tuis est, & quocunq; volueris inclinabis illud. Tu Mater illa es dilectissima, quam mihi Filius Tuus in Cruce pendens in Matrem dedit, me Tibi in Filium. Quid timebo penes tam potentissimæ Matris protectionem!

Eja ergo Mater consolationis! Mater miserationis! utere hoc jure dato Tibi ad me, suscipe in hora mortis filium in sinum Tuum, & totus licet infernus insidietur saluti meæ ad perditionem, non tamen nocebit mihi. Peto id à Te per dilectis-

simum

ſimum Tibi COR JESU mei, Filij Tui, per omnem bonitatem illius, & Tuum erga illud amorem, ut non confundar ab inimicis meis in hora ultima vitæ meæ, & in perpetuum. Amen.

Oratio ad Omnes Sanctos.

O Sancti & Electi DEI qui cum Chriſto in æterna beatitudine regnatis, Vos omnes & ſingulos veneror, ſalutiq; animæ meæ in mortis hora Auxiliatores enixe invoco, Angeli, Archangeli Throni, & Dominationes, Principatus, & Poteſtates, Virtutes Cælorum, Cherubin atque Seraphin, Patriarchæ & Prophetæ, Apoſtoli & Evangeliſtæ, Martyres & Confeſſores, Epiſcopi & Doctores, Sacerdotes & Levitæ, Monachi & Eremitæ, Virgines & Viduæ, Conjugati & Innocētes: Omnes Sancti & Beati intercedite pro me & pro omnibus agonizantibus.

Per amorem Domini Noſtri JESU Chriſti, per COR ejus Sanctiſſimum, quod inceſſanter in Cælo glorificatum laudatis, amatis, adoratis, rogo Vos cordi meo veram in agonia ultima impetrate contritionem.

Sub

Sub Veſtrum præſidium confugio ô dilecti DEI Amici, Veſtram interceſſionem toto humili corde imploro in periculoſo extremo vitæ meæ termino, ea petitione, quâ Vos olim in eodem exilio poſiti, Sanctorum tutelam invocabatis.

An non obligat unumquemq; lex de amore proximi, quatenùs videndo in periculoſo conſtitutum termino illi ſuccurrat? Vos Sancti Electi DEI, proximi mei eſtis, Vos quondam Compatriotæ mei, ideò per amorem hunc, quem nobis DEUS præcepit de proximo noſtro, ſuccurrite mihi, & in extremo eoque periclitante ſalutis negotio ferte auxilium.

Ecce enim totâ vitâ meâ inſidiæ mihi têduntur ab inimicis, qui quærunt animam meam, & in exitu de mortali hac carne, eam illaqueare, ac devorare ſatagunt! quomodo laqueos hos vitare potero, ſi Veſtra ope deſtitutus fuero? quis mihi iratum pro peccatis meis placabit DEUM meum, ſi pro me in judicio ipſius non ſteteritis? ſi Vos me ſpernetis, timeo nè & DEUS me ſpernat, ſi Vos pro me interceſſeritis, ſuſcipiet preces Veſtras, & peccatori miſerebitur.

In

In manibus igitur Veſtris ſunt ſortes ſalutis meæ, non pereat anima mea, pro qua Salvator meus mortuus eſt, quam Vos expectatis, ut Vobiſcum facie Conditoris ſui in æternum fruatur.

Succurrite ergò mihi tunc quæſo Sancti DEI, occurrite Angeli Domini ſuſcipientes animam meam, offerentes eam in conſpectu Altiſſimi. Veſtris glorioſis meritis & precibus placate Judicem noſtrum JESUM Chriſtum, ut me miſericorditer ſuſcipere, & Veſtro aggregare dignetur Cætui. Amen.

Oratio Efficax

Pro Fidelibus Defunctis.

MIſerere pijſſime JESU Animabus in Purgatorio detentis, pro quibus redimendis humanam naturam aſſumpſiſti, Mortemq́; amariſſimam ſubijſti. Miſerere gemituum, miſerere lachrimarũ, quas ad Te fundunt! & per Virtutem Paſſionis Tuæ, condona eis pænas peccatis ipſarum debitas. Deſcendat pijſſime JESU Sangvis Tuus in Purgatorium, & recreet

refri-

refrigeretq; omnes ibi captivos ac patientes. Porrige eis dexteram, & duc eas in locum refrigerij lucis ac pacis. Amen.

Alia.

AVe JESV Christe Splendor Patris, Princeps Pacis, Janua Cæli, Panis Vivus, Virginis Partus, Vas DEitatis. Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis.

Vel dic Psalmum. De profundis, &c.

OF-

OFFICIVM
DE
S. FRANCISCO SALESIO,
EPISCOPO ac PRINCIPE GENEVENSI, FUNDATORE Sanctimonialium Visitationis Beatissimæ V. MARIÆ.

AD MATVTINVM.

℣. Domine labia mea aperies,
℟. Et os meum annunciabit laudem Tuam.
℣. DEUS in adjutorium meum intende,
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S.
℟. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Am̃.

HYMNUS.

FRANCISCUS alto nomine splendidus,
Cui Roma Sancti dat titulum Viri
Per summa, non partus laborum
Emeriti titulo potitur.
Pastoris, æger dùm teneros puer
Deponit artus, vix calidus nuper

Elan-

Elangvet Infans, ſumma verùm
De tenero meditatur ungvi.
Nempè ſalutis tinctus in alveo,
Refloret auſpex æthereus puer,
Mundoq; dicens, jam valeto
Stellifero famulatur Orbi
Laudetur Almum Numen in æthere,
Quo luſtrat omnes Lumine, ſplendeat
Æterna ſummæ ſit poteſtas
Nunc Triadi, celebreſq; laudes.

Antiphona.

Ecce ego mitto te, ut aperias oculos eorum, ut eruantur de tenebris in lucem, & de poteſtate Diaboli ad DEUM, ut accipiant veniam delictorum, & partem cum Sanctis per fidem, quæ eſt in me.

℣. Amavit eum Dominus, & ornavit eum,

℟. Stolam gloriæ induit eum.

Oremus.

DEVS, qui ad Animarum Salutẽ, Beatum FRANCISCUM Confeſſorem Tuum, atq; Pontificem, omnibus omnia fieri voluiſti, concede propitius, ut charitatis Tuæ dulcedine perfuſi, ejus dirigentibus monitis, ac ſuffragantibus meritis, æterna gau-

dia consequamur. Per Dominum Nostrum Jesum Christum. Amen.

AD PRIMAM.

℣. Deus in adjutorium, &c.
℞. Domine ad adjuvandum, &c.
℣. Gloria Patri & Filio, &c.

HYMNUS.

FRANCISCUS alti decoris æmulus,
Et norma morum, nobile tribubus,
Vivumq́; morum, jam fit astrum,
Dùm tenerum ingenium coercens,
Mundum virentem, projicit ad pedes,
Et pectus ipsi dedicat ætheri,
Aurum nec ostrum concupiscens
Divitias fugit, atq́; spernit.
Ganges avaro parturiat penu,
Exuberantis Flumina Pactoli,
Aurumq́; & in vulgus caducas
Largifluo spuat ore gemmas.
Laudetur almum Numen in æthere
Quo lustrat omnes Lumine, splendeat
Æterna summæ sit potestas
Nunc Triadi, celebresq́; laudes.

Antiphona.

Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, ut in simplicitate cordis

& in ſinceritate DEI, & non in ſapientia carnali, ſed in gratia DEI converſemur in hoc ſæculo.

℣. Os juſti meditabitur ſapientiam,
℟. Et lingva ejus loqvetur judicium.

Oremus.

OMnipotens æterne DEUS, ob cujus amorem Beatus FRANCISCUS SALESIUS, Confeſſor & Pontifex Tuus, imitando humilitatem Filij Tui, mundanas vanitates, ac perituras delectationes reſpuens, Tibi ſoli unicè placere conatus eſt, da nobis quæſumus, ut ejus exemplo omnem noxiam declinantes voluptatem, ad conſortium gloriæ Tuæ ejus interceſſione admitti mereamur. Per JESUM Chriſtum Filium Tuum, Amen.

AD TERTIAM.

℣. DEus in adjutorium meum, &c.
℟. Domine ad adjuvandum, &c.
℣. Gloria Patri, & Filio, &c.

HYMNUS.

ATbleta; pullâ veſte Sacerrimus,
Mox corde dextro, Tartareas quatit
Serras, mucronem fideiq;
Perpetuo ſociat amori.

Non

Non ille scutum sumpserat Herculis
Armatus ipsa pro Clypeo Cruce
Perstringit ardens, grande crimen
Ore tonans, minitansq; avernum.
Laudetur Almum Numen in æthere,
Quo lustrat omnes Lumine splendeat,
Æterna summæ sit potestas
Nunc Triadi, celebresq, laudes.

Antiphona.

Collaudabunt multi Sapientiam ejus, & usq; in sæculum non delebitur.

℣. Justus germinabit sicut Lilium,

℟. Et florebit in æternum ante Dominũ.

Oremus.

DEUS Omnipotens, qui Beato FRANCISCO SALESIO tantam fortitudinem contulisti, ut ob Tui amorem omnes labores, difficultates, persecutiones, & ipsam mortem subire paratus esset, pro conversione infidelium ad cognitionem Divinæ Majestatis Tuæ, supplices Te deprecamur, ut nobis talem constantiam impertiri digneris, per quam imperterrito animo gloriam & honorem tuum zelantes, omnia adversa vincamus. Per JESUM Christum Filium Tuum. Amen.

AD SEXTAM.

℣. Deus in adjutorium meum, &c.
℟. Domine ad adjuvandum, &c.
℣. Gloria Patri & Filio, &c.

HYMNUS.

IMbellis arcet corda rebellia
FRANCISCUS, lupos attonitos tenet,
Dùm prava mulcens corda blandus,
Fide bona, mala corda vincit.
Evertit aras, Tartareæ Stygis,
Altare Sanctis, litat adoreis,
Importat & JESU Nomen Almum,
Christi feræ Crucis ac Triumphos.
Laudetur Almum Numen in æthere,
Quo lustrat omnes Lumine, splendeat
Æterna summæ sit potestas
Nunc Triadi, celebresq; laudes.

Antiphona.

Ante consummationem vitæ suæ, testimonium perhibuit veritati, in conspectu DEI & Christi.

℣. Præcinxit eum Dominus cingulo Justitiæ,

℟. Et posuis in capite ejus Coronam gloriæ.

Ore-

Oremus.

INtende quæsumus Omnipotens DEUS oculos indeficientis misericordiæ Tuæ, petitionibus ac votis nostris, & intercedente B. FRANCISCO SALESIO, præsta, ut ejus mansvetudinem sectantes, quæ ad Tui Gloriam & Honorem desideramus, feliciter consequamur. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

AD NONAM.

℣. DEUS in adjutorium meum intende,
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S.

HYMNUS.

ET jam lethali fixus arundine,
Post sera vitæ tempora deficit,
JESU sinu susceptus; ergo
Commoritur meliore fato.
Festinat orbum visere Anesium
Solvi Lugdunum census at imperat
Vitæ, valeto dicit Orbi
Pernicius, volat ast in astra.
Laudetur Almum Numen in æthere,
Quo lustrat omnes Lumine, splendeat
Æterna summæ sit potestas
Nunc Triadi, celebresq; laudes.

Antiphona.

In fide & lenitate sua sanctum fecit illum, & elegit eum ex omni carne.

℣. Tu es Sacerdos in æternum,

℟. Secundùm Ordinem Melchisedech.

Oremus.

DEUS qui Davidem secundùm COR Tuum, Eiq; similem B. FRANCISCUM SALESIUM famulum elegisti, & in ejus Corde complacuisti Tibi, Majestati Tuæ humiliter supplicamus, ut ejus interventu, obstinata in peccatis corda nostra transformare digneris, & nolens flecti ad pænitentiam pectus meum gratiâ efficaci perfunde, nec sinas me fore induratum Pharaonem, ut Te ex tota mente diligendo in terris, æternùm merear glorificare in Cælis. Per JESUM Christum Dominum Nostrum, Amen.

AD VESPERAS.

℣. DEUS in adjutorium meum, &c.

℟. Domine ad adjuvandum, &c.

℣. Gloria Patri & Filio, &c.

HYMNUS.

ERgo polari jam residens sede,
Vernat recenter plena velut rosa,

Nam

Nam vita dùm flaccescit, astris
Gratus odor bene spirat Orbi.
Sic dùm nitenti sidere permeat
Cælos, Sacratum pectus in æthere
Vivit DEO, semperq; spirat
Corda DEO dedit, ac MARIÆ.
Laudetur Almum Numen in æthere
Quo lustrat omnes Lumine, splendeat
Æterna summæ sit potestas
Nunc Triadi, celebresq; laudes.

Antiphona.

Omnis cognatio ejus, & totum genus illius in bona vita, & in conversatione Sancta permansit, quia acceptus erat DEO & hominibus, & coram omnibus habitantibus in terra.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas.

℟. Et ostendit illi Regnum DEI.

Oremus.

DEUS, cujus misericordia exhauriri non potest, in cujus potestate est vita & mors, fac nos per intercessionem Sancti FRANCISCI SALESII Confessoris Tui atq; Pontificis, vitam nostram in gratia & charitate Tua, in dolore perfecto pro pecca-

tis, & in firma ſpe & fiducia, in meritis innocentiſſimæ Paſſionis & Mortis Unigeniti Tui decurrere, quatenùs æternam vitam conſequamur. Per Chriſtum Filium Tuum. Amen.

AD COMPLETORIVM.

℣. Converte nos DEUS Salutaris noſter,
℟. Et averte iram Tuam à nobis.
℣. DEUS in adjutorium meum intende,
℟. Domine ad adjuvandum me feſtina.
℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S.
℟. Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Am̃.

HYMNUS.

NUnc porrò quantis floret adoreis?
E mortis unos faucibus excutit,
Cunctisq; præſto vix vocatus
Advolat, atq; juvat petentes.
Tot clara Sanctum lumina lucidant
Quod vivat ipſo Numinis abdyto
Et Roma conteſtatur, albo
Cælitúùm numerans acervo.
Laudetur Almum Numen in æthere,
Quo luſtrat omnes Lumine, ſplendeat
Æterna ſummæ ſit poteſtas
Nunc Triadi, celebreſq; laudes.

An.

Antiphona.

Vir Consilij est, audite eum semper, ut sit vobis in Patrem.

℣. Sapientiam ejus enarrabunt gentes,

℟. Et laudem ejus nunciabit Ecclesia.

Oremus.

DOmine JESU Christe, qui dixisti, ignem veni mittere in terram; eandemque amoris flammam, vehementer in pectore S. FRANCISCI SALESII Confessoris Tui atq; Pontificis accendisti, quo frigida corda mortalium in Tui incenderet dilectionem, præsta benignus, ut ejus quem laudamus & honoramus, obsecratione, ab omni malo liberati, quidquid Tibi placitum est in charitate perfecta adimpleamus. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum, A.

Divinum auxilium, per intercessionem Divi FRANCISCI SALESII maneat semper nobiscum, Amen.

LITANIÆ
DE
S. FRANCISCO SALESIO.

Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos, Chriſte exaudi nos.
Pater de Cælis Deus, Miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miſerere nobis.
Spiritus Sancte Deus, Miſerere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, Miſerere nobis.
Sancta MARIA, Ora pro nobis.
Sancta DEI Genitrix, Ora pro nobis.
Sancta Virgo Virginum, Ora pro nobis.
Sancte Francisce Salesi,
Sidus Eccleſiæ DEI,
Genevenſis Apoſtole,
Martyr incruente,
Præceptor Amoris Divini,
Speculum venuſtiſſimum Epiſcoporum,
Clementiſſime Pater Pauperum,
Lilium Angelicæ puritatis,
Exſtirpator pravitatis hæreticæ,
Imperterrite Juſtitiæ Protector,

Ora pro nobis.

Gra-

Gratissimum Domicilium Spiritûs Sancti,
Ora pro nobis.

Virginalis pudicitiæ exemplar,
Apis dulcoris interni,
Firmissima palma in tentationum motibus,
Contemplationis Divinæ Origo,
Humilitatis profundissimæ Specimen,
Gymnasium Patientiæ,
Ora pro nobis.

Extinctor Libidinum,
Columba sine felle,
Mansuetissimus omnibus,
Perfectionis Epitome,
Imago primæ Innocentiæ,
Amator tenerrime Matris DEI,
A Sanctissima Trinitate interiùs perunctе,
Ora pro nobis.

Crucifixi lumine collustrate,
In oratione globo igneo circumdate,
Magne hujus sæculi Thaumaturge,
Infatigabilis in Vinea Christi operarie,
Consolator afflictorum,
Refugium certissimum omnium peccatorum,
Præceptor perspicacissime errantium,
Nutritor pauperum misericordissime,
Omnium desolatorum Pater Clementissime,
Ora pro nobis.

Pu-

Pupillorum & Viduarum Advocate, Ora pro nobis.

Pastor Ovium suarum Vigilantissime,
Morientium Præsidium,
Suscitator mortuorum mirifice,
Illuminator Cæcorum,
Restaurator infirmorum,
Persecutor dæmonum,
Religionis Visitationis Fundator Sapientissime, Ora pro nobis.

Perfecte Vitæ Christi æmulator, Ora pro nobis.

Magnes hominum pectora ad DEUM pertrahens, Ora pro nobis.

Pater & Patrone Noster Clementissime, Ora pro nobis.

Agnus DEI qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine,

Agnus DEI qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.

Agnus DEI qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.

Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson.

Antiphona.

Ad Te cum fiducia confugimus Sancte FRANCISCE SALESI, nostras deprecationes

nè de-

nè despicias, sed nobis semper opem liberalem conferre digneris.

Ora pro nobis Beate FRANCISCE SALESI,
Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oratio.

DIgnare Domine custodire & defendere nos famulos & famulas Tuas, ab omni periculo corporis & animæ, ut intercessione S. FRANCISCI, ab omni incursu hostium liberemur, & in hora mortis nostræ Te miserante auxilium obtineamus, animas nostras è corpore discedentes, in manus JESU, MARIÆ, & S. JOSEPHI commendando, nullis tentationibus & suggestionibus inimici consentiamus, Teq; DEUS meus Judicem Clementem, illum verò pium apud Te Intercessorem habere valeamus. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Oratio efficax in omni necessitate, ad eundem S. Patriarcham.

BEatissime Præsul S. FRANCISCE SALESI, qui in vita tua mortali fuisti exornatus cunctis virtutibus, præsertim ardentissimâ

cha-

charitate erga DEUM, & præfervidâ dilectione ac mansvetudine circa proximum, cum qua omnes ad te in suis necessitatibus recurrentes, peramanter suscipiens, omnibus omnia fieri cupiebas, gaudeo de tua gloria, quâ nunc in Cælis frueris, æternumq; fruiturus es, congratulor Tibi a eô numerosam congeriem animarum Beatarum, quarum septuaginta duo millia è tenebris hæreticæ pravitatis eruens, in æternam tecum Patriam introduxisti, congratulor quoque tibi complures errantes & in iniquitatibus obstinatos peccatores, quos bonitate, tuâ & sano consilio veluti Filios prodigos Patri æterno restituisti. Gaudeo & de illa gloria, quâ te DEUS tanquam Servum suum honoravit in terris, per miracula; quæ patravit & patrat indesinenter tuâ apud Divinam Majestatem potenti interventione, ut omnes DEO Tuo lucreris. Ita nunc peto Sancte Pater per eandem admirabilem mansvetudinem & charitatem, quibus Cor tuum semper abundabat, respice me peccatorem propitio lumine tuo, impetra mihi veram ad DEUM conversionem, impetra virtutes sanctiori vitæ in statu & vocatione

mea exercendæ conducibiles, liberationē à tentationibus & gravibus peccatis, ac vitijs meis, quæ poſtmodùm poſſent me inducere in periculum ſalutis amittendæ, impetra mihi plenariam ſubjectionem erga voluntatem Divinam, in omnibus adverſis caſibus, concilia amorem, concordiam pacem ac benedictionem cæleſtem, familiæ meæ rerum vitæ huic temporali, conducentium ſufficientiam, ſecundùm laudem DEI & conditionem meam, ut eò faciliùs incedere valeam per viam Mandatorum DEI. Pater Sancte qui ſemper fueras, esq; etiamnum Advocatus & Pater omnium deſolatorum, Pupillorum & Viduarum, ſis etiam meus Patronus. Experiar ſemper in neceſſitatibus meis auxilium & ſubſidium tuum, præſertim in hac neceſſitate mea NN. (hic exprime intentionem petitionis tuæ) aut in hac afflictione mea, eſto mihi in Aſylum & Præſidium, auxiliare & ſolare undique coanguſtatum cor meum, quod non à creatura quærit opem & ſolatium, ſed per te à DEO, largire proindè, & impetra quòd opto, ſecundùm Sanctam Ejus volūtatem, & prout noſti utile animæ meæ,

cum

cum majori augmento gloriæ Divinæ, & cum ejus Sancto beneplacito, & ſicut tu S. Pater non paſſus es aliquod membrum Corporis Tui, aut ſtillam ſangvinis, aut ullum cordis affectum, qui in Divinum non ferretur amorem, ita à te ſupplico, aufer à me omnia, quæcunq; diſplicent oculis Ejus Diviniſſimis, CORDIq; Ejus Sacratiſſimo in me. Impetra fidei robur, ſpei firmitatem, charitatis immobilem conſtantiam, ad extremum, concilia perſeverantiam finalem in Gratia DEI, feliceméq; obitum, ut tuo tractus exemplo, ſæpiùs recogitem de quàm optima præparatione in viam æternitatis longiſſimã, in agone verò meo, fac mihi venire in adjutorium JESUM, MARIAM, & Divum Ejus Sponſum JOSEPHUM, animamq; meam è corpore migrantem tanquam Pater & Advocatus meus, deduc in vitam æternam, ut una tecum, valeam in perpetuum laudare DEUM in TRINITATE perfecta unum, ac viventem in ſæcula ſæculorum, Amen.

Unusquisq; devotè & confidenter in ſuis neceſſitatibus recurrens ad hunc præclarum Sanctum, ſit certus efficaciſſimæ Interventionis ejus

ſicut

sicut enim vivens omnem proximo consolationem medullitùs vovebat, ita jam glorificatus, non intermittet subvenire invocantibus se. Quicunque enim vitæ illius notitiam habet, fateri cogitur, illam fuisse unicum & indeficientem actum dilectionis DEI & proximi.

NOVENNA
Ad S. FRANCISCUM SALESIUM.

QUi vellet persolvere Novennam ad hunc Sanctum, poterit eam perficere, vel continuis diebus novem, vel distributis per totidem Hebdomadas Ferijs quartis, quas jejunio venerari liberum erit, Missas conducere, Candelas devovere, præsertim ubi reperitur Ecclesia, Sacellum, aut Altare DEO ad Honorem Sancti hujus erectum, confiteri & communicare singulis Ferijs quartis, vel saltem primo, ac ultimo die Mercurij, mortificationem præsertim prævalentis in unoquoq; alicujus passionis exercere, cum devoto operum bonorum conatu, & studiosa exquisitione, cæteraq; præstare, cuivis saluberrimum, DEOq; acceptissimum, & secundùm Cor Jesu forè quisquè per-

ſvadeat. Et ſecundùm poſſe, recitandum eſt his Ferijs Officium cum Litanijs ejuſdem, cum præſuppoſita Oratione, ſpecificando peculiarem intentionem, quâ quisquè eandèm Novennam decurrere proponit, addendoq́; prætere 5. Pater noſter, & Ave MARIA cum Credo in DEUM Patrem &c.

CRACOVIÆ,

Typis, IACOBI MATYASZKIEWICZ.